5510

ANGLORVM PRÆLIA ab anno Domini. 1327. anno nimirùm primo inclytiſsimi Principis Eduardi eius nominis tertij, vſque ad annũ Domini. 1558. Carmine ſummatim perſtricta.

ITEM.

De pacatiſſimo Angliæ ſtatu, imperante Elizabetha, compendioſa Narratio.

Authore CHRISTOPHORO OCLANDO, primò Scholæ Southwarkienſis propè Londinum, deìn Cheltennamenſis, quæ ſunt à ſereniſsima ſua Maieſtate fundatæ, Moderatore.

Hæc duo Poemata, tàm ob argumenti grauitatem, quàm Carminis facilitatem, Nobiliſſimi Regiæ Maieſtatis Conſiliarij in omnibus huius regni Scholis prælegenda pueris præſcripſerunt.

Hijs Alexandri Neuilli KETTVM: tùm propter argumenti ſimilitudinem, tùm propter orationis elegantiam adiunximus.

LONDINI:
Apud Radulphum Nuberie, ex aſsignatione Henrici Bynneman Typographi. ANNO. 1582.

Cum priuilegio Regiæ Maieſtatis.

Regum Angliæ nomina,

quorum auſpicijs hæc bella geſta ſunt.

Eduardus tertius.
Richardus ſecundus.
Henricus quartus.
Henricus quintus.
Henricus ſextus.
Eduardus quartus.
Richardus tertius.
Henricus ſeptimus.
Henricus octauus.
Eduardus ſextus.
Philippus & Maria.

A Copie of the Letters directed by hir Maiesties High Commissioners in causes Ecclesiasticall, to all the Bishops throughout hir Highnesse dominions of *Englande* and *Wales*, by especiall order from the Lordes of the priuie Councel, for the publike reading and teaching of this booke in all Grammer and Free scholes within their Dioceses.

AFTER our heartie commendations &c. Wheras we of hir Maiesties high Commission Ecclesiastical, haue receiued Letters from the Lords of hir highnesse moste honourable priuie Counsell, THAT we should direct order to all the Byshops of ẏ Realme, to cause to be receiued and publiquely read and taught in all Grammer and Free scholes within their seueral Dioceses a Booke in Latine verse of late impẏinted, entituled *Anglorum prælia*, set fooẏth by one Christopher Ocklande, as by the true Copie of their Honours Letters, which we send youhere inclosed, it may appeare vnto you. THESE 're therefoꝛe to require you, accoꝛding to their Honours pleasures signifyed to vs in that behalfe, foꝛthwith vppon receipt hereof to take pẏesent oꝛder within your Dioces foꝛ 'he due accomplishment of their said Letters accoꝛdingly. AND so we bidde you heartily farewel. From London e seauenth of May, 1582.

Your loning Friendes,

Iohn London.	Owin Hopton.
Da: Lewes.	W. Fleetewoode.
Bar: Clerke.	Pet. Osborne.
W: Lewyn.	Tho. Fanshaw.

HONI·SOIT·QVI·
MAL·Y·PENSE·
E.
R

¶ AD ILLVSTRISSIMAM POTENTISSIMAMQVE PRINCIPEM D. ELIZABETHAM, ANGLIAE, *Franciæ & Hyberniæ Reginam, fidei* propugnatricem.

REgia Nympha, soli moderatrix alma Britanni,
Quæ pace & vera relligione nites,
Quæ vitæ meritis, morum & candore coruscans,
Zenobiam vincis, si qua vel antè fuit:
Iunonem sceptris, Venerem, vultu, arte Meruam
Quæ exprimis, & plusquam fœmina, mente sapis:
Lenis ades, fœlixqué meis illabere cœptis:
Vultus (Diua) tuus numinis instar erit.
Grande opus est, impar tanto succumbo labori,
Ni fausto nobis sydere Diua mices.
Diua mica, proauosqué tuos & auita trophæa
Qualia, quæ fuerint, per tria sæcla, vide.
Quorum cùm teneas solium, diadema, viceſqué,
Illorum bellis gloria parta, tua est.
Nec sanè insipidum est, describere bella puellæ,
Vt pax, sic doctæ Palladi bella placent.
Hoc opus ergo precor Princeps, lege fronte serena:
En ego iudicio stóue cadóue tuo.
Abijciant omnes, conculcent, nil moror omnes.
Vni (si possim) posse placere sat est.
Det Deus, vt semper geniali pace fruaris,
Et superes proauos gloria, honore, tuos.

Maiest. tuæ obsequentissimus.

CHRISTOPHORVS OCLANDVS.

In

In hæc Chriſtoph. Ocland⁹

Anglorum Prælia, παιγνιχὸν.

OClandi hos quiſquis trutina librauerit æqua
Centones, Britonum dum canit arma Ducum:
Quodam iure poteſt illum vocitare Britannûm
Phoſphoron, hiſtoriæ deliciáque nouæ.
Aurea dulciſonæ qui callet plectra Thaliæ,
Inque leues Clio cui venit alma modos.
Nec quiſquam, niſi ſtips, caprimulgus, treſsis agaſo,
Caudex, ſcurra, lapis, rabula, carpet eum.
Enthea vis tanta eſt, bello vt metuenda Virago
Non ſe aliundè decus tantum habuiſſe putet.
Tanta fides, tantúſque lepos, tam grata venuſtas,
Tanta Charis, Pithô. Suadaque tanta nitet.
Suaſilis Oclandi Taratantara talia pandit,
Dum ſonat altiſona bella cruenta tuba.
Bella cruenta quidem quibus vſque Britannica virtus
Emicuit victrix atque Brabeia tulit.
Pollice dúmque habíli multa effert, multa Timantis
Obuoluit velo, multa recluſa notat.
Inuideat Latium, ſileat iam Gallia pugnax,
Obmuteſcat Iber, murmuret atque Scotus.
Fœlices Angli Heroes, queis talis Homerus,
Tyrtæuſque bonis obtigit auſpicijs.
Iam Phlegetontæis non veſtra trophæa cauernis
Squalent, vt pereant ilia rupta Codro.

Thomas Newton, Ceſtreſhyrius.

ANGLORVM
Prælia.

Spera quàm valido gens inclyta Marte Britanni
Prælia conſererent animo, quo turbine telum
Torquerent, quantis acrem ferrentur in hoſtẽ
Viribus: ante decem & ſex ſæcula: Cæſaris, olim
Anglica Romanis cùm regna laceſſeret armis,
Nobilis Hiſtoriæ facunda volumina tradunt,
Splendida quæ referunt populi monumenta Britanni.
Ac niſi proditio mala promouiſſet Iüli
Conatus, fruſtrà, tetigiſſet littora claræ
Albionis, trepidum fruſtrà Romana iuuentus
Mouiſſet bellum, nec vectigalia magnis
Cæſaribus, populo aut Romano penſa fuiſſent.
Quid tam inuictum vſq̃, cui tanta potẽtia regno eſt,
Si modo diſſideat, quod non capiatur ab hoſte?
Quid tumido feruens rabidi certaminis æſtu

Iulius Cæſar fecit impreſsionem in Angliam ante annos mille ſexcentos.

Ciuilis dissentio præsentem parit patriæ ruinam.

Non spargit populus? quid non discordia frangit,
Dissipat, enervat, fera cùm dominatur Erynnis?
Cæsar fortis erat, pugnax, animosus, & audax,
Ad finem gestis rebus memorabilis, aui,
Tot populis ferro iuga sub seruilia missis
Num potuit toties sine numine victor abire?
Num gentes superare, atq; arma potentibus armis?

Laus fortitudinis Germanorum & Gallorũ.

Germanos fudit. Gens illa austera, minaxq;,
Non Italis bello cedit: vi corporis ingens,
Atque animi. Fudit Gallos quos mascula virtus
Ornauit semper belliq; domiq; vigentes.
Vnde igitur solis Romanis gloria Martis
Sæclo illo cessit, terrarum & totius orbis
Imperium Augusto: per fortia gentibus arma
Deuictis, humili vel deditione subactis?
Nascente vt Christo pax scilicet alma bearet
Mortales, totum pro tempore fusa per orbem.
Quæque suas retinere vices seriemq; probantur
Ordine dispositam: Certus quoque terminus illis.
Primos egregia fama bellando monarchas
Coctilibus Babylon muris, Ægyptus & vndis
Nile tuis frugum & pecoris fœcunda, fouebant.
Namq; rudes aliæ gentes, sed adhuc neque gnaræ
Bellandi fuerant. Aliquot post secula Græci
Magnanimi reliquis decus eripuêre Gradiui,
Si laus inuicta spectetur bellica mentis.
Ausoniæ gentis virtus suppressit Achiuos:
Sedibus è propriis Gothi pepulere latinos:
Sic clauus clauo, sic vnda superuenit vndæ.

Est

Eſt Deus omnipotens qui temperat omnia nutu,
Qui mare, qui terras, qui cœli regna gubernat:
Ille, ille armorum Deus eſt, qui fulmine terret, Dominus exercituum Deus eſt.
Ille exercituum Deus eſt, qui donat, & aufert,
Incutit horrores, animos addit q3 viriles,
Vincere dat, victos & ſubijcit enſibus hoſtes.
Hoſtibus ecce manu domitis victrice triumphat,
Cui primas partes tribuit diuina voluntas.
Vltimus horrendis populus fit nobilis armis,
Quem niuea gelidus glacie ſeptentrio ſtringit:
Robuſtus populus, trux, ingenioſus ad omne
Sæui martis opus, nimis ad fera prælia promptus,
Aſſuetus bellis immani corpore Teutho,
Dalmata, Polonus, Sueuus, fortiſſimus Hunnus, Laus gentium totius Europæ.
Flander, Gallus atrox, Hiſpanus, belliger Anglus,
Et Scotus egregia virtutis pectore pleno
Militiæ exercent opus acre, viriliter omnes.
Frigore nec victi, rapidi nec ſolis ab æſtu,
Offuſcant q3 ſua laudis ſplendore priores.
Immittis bellum Deus optime maxime, pœnam,
Vindictam ſcelerum, genti cùm iraſceris vlli.
Criminis admiſſi pœnas gens impia pendit,
Fortunata venit ſummo victoria cœlo.
Ergo tota rei bene geſtæ gloria magno
Aſcribenda Deo, qui dirigit omnia nutu.
Is mihi de bellis dicturo carminis eſto
Principium, duri firmus moliminis author,
Aſpiret q3 meis cœleſti numine cæptis.
A magno exortus Gulielmo tertius eius

Eduardus tertius adhuc 15. annorum regnare cæpit.

Nominis Eduardus, rex imperitare Britannis
Cœpit, vbi vix dum ter quinque expleuerat annos.
Ille domi prudens consultor, ciuibus æqua
Iura dabat, legesq; in publica commoda vertit:
Numinis at cultum super omnia semper amabat.
Signa pererrârat quater omnia fulgidus axe
Æthereo Phœbus: quinto cum brachia Cancri
Tangeret, electo Mauortem milite tentat
Impiger, inque Scotos infestos suscipit arma
Eduardus. Verbis toto pars maxima regno
Tantæ fortunæ regales asperat iras.
Quippe Scoti sacræ violârant fœdera pacis,
Scomma satum nuper veterisq; iniuria facti
Accessit, Stanhopi cum claudebantur in arcto.
Scrinia præterea boreali Hamptone recluſa,
Reddita confractis furtim sua scripta sigillis.
Hæc pugnaturis animos pia causa superbos
Fecerat, & vacuos belli terroribus Anglos.
Sed sermone Scotos blando si forte nefandi
Pœniteat sceleris, dederint si forte quod æquum est,
Plantageneta pius censet prius esse mouendos.
Non tamen hic populus resipiscit, at improbus odit,
Ipse volens Dominum Baliolum dedere morti.
Qui simul insidias sensit, discrimina vitans
Venit ad Angliacas mutatis sedibus oras:
Narrat & Eduardo quas gens ingrata Scotorum
In caput illius fraudesq; dolosq; tetendit.
Vt ferat auxilium deinde supplice voce roganit,
Admissus mæsto qui vultu talia fatur.

Significat Rhythmũ, vt appellant, opprobrij plenum: & Scrinia regia compilata.

Baliolus rex Scotiæ pulsus regno à suis, venit in Angliam.

Qui

Oratio Balioli ad Eduardum 3.

Qui cælum & terras homineſq́, feraſq́ creauit
Prouidus inſigni ſtatuit moderamine rerum,
Vt foret alterius princeps opis indigus alter,
Et qui accepiſſet plus commoditatis, haberet,
Pectore quod grato poſſet debere datori:
Credo etiam hoc opus immortalis numinis eſſe,
Quoſdam infœlices infausto ſidere natos
Deprimi in hoc ſæpè ærumnis grauioribus orbe.
Quorsũ hæc omnipotens? bona quod bonus omnia lato
Largitur vultu dona & mortalibus ampla,
Vultq́ ſui ſimiles miſeræ ſuccurrere plebi.
Pluribus in nota re nolo ambagibus vti:
Quare prolixi ſermonis tædia pellam.
Obtinui nuper regnum, patris vnicus hæres,
Impoſitis populo duræ ceruicis habenis,
Securuſq́ meos tranquilla in pace regebam.
Cum ſubitò inſurgens commoto turba tumultu
Opprimit incautum, nil ſuſpicionis habentem,
Expugnans noſtram accitis ductoribus arcem.
Quid facerem infœlix illo impendente periclo
Temporis articulo, cum nullus adeſſet amicus?
Numinis auxilium tacitus mecum inuoco ſupplex.
Numen erat præſens. Venit hæc ſententia menti,
Effugio elapſus per apertam nocte feneſtram
Concubia, veſtras hinc ſum digreſſus ad oras.
Hoc mala gens turpem prætexit nomine culpam
Neglectis regni ſatrapis populoq́ Scotorum
Me tibi Rex nimium, nimium fauiſſe Britannis,
Nunc patria careo, charis cum coniuge gnatis,

Pauper, egens erro, externis regionibus exul.
Nil reſtat niſi ſpes, miſerorum triſte leuamen,
Ærumnis homines preſſos quæ haud deſerit vnquã,
Dum ſpirare queant, mihi langueſcentia mulcens
Pectora, venturiſq́ feret meliora diebus.
Noſtrorum (ô quæſo) clemens miſerere laborum:
Quod ſi tu fieri rerum tutela mearum
Digneris, dum me fortuna affligit acerba,
Inq́ clientelam ſuſceperis omine dextro,
Reddes mutata Baliolum ſorte beatum:
Nobilis & facti florebit fama ſuperſtes.
Hæc mihi votorum ſumma eſt, nihil amplius opto.

Eduardi regis reſpõſio.

Excepit tali Baliolum voce tacentem
Maximus Eduardus gentis ſpes ſumma Britannæ.
Hoc fragili variis voluuntur caſibus orbe
Omnia, celſa ruit turris grauiore ruina.
Aduerſis rebus qui nulla ex parte mouetur
Nec vi fortunæ reflantis frangitur vlla
Sed conſtanti animo fert imperterritus omnem
Iacturam, debet vir prudens iure videri.
Nobilis eſt aliis præſtans, patientia, virtus.
Fortiter hæc animo placidus tolerato virili.
Ipſe Deus certum volet his imponere finem,
Cùm viſum fuerit, cùm grata ſuperuenit hora.
Tu tantum expecta paulùm dum meſſis ariſtas
Attulerit, feruenſq́ herbas produxerit æſtas
Ignipedum vt tellus alimenta miniſtret equorum.
Interea in gentem hanc ego prouidus arma parabo:
Armati regno noſtro cogentur ab omni,

Quicquid & insigni conduxerit vtile bello.
Fautores causſæ debellabuntur iniquæ
Teq́ tua populum frænantem ſede ferocem,
(Si Deus annuerit) ſolioq́ locabo paterno.
Dixerat Anglorum princeps: regalia multo
Atria complentur fremitu, ſcelus eſſe nefandum
Clamabant, gentem ſceleratam pellere regno
Legitimum Regem, ac illum voluiſſe necare.
Pauci interceſſere dies & perbreue tempus:
Egregios ſatrapas Eduardus conuocat aptos Apparatus belli aduerſus Scotos.
Militiæ, lectis mox centurionibus explet
Rex iuſtum numerum, turmis equitũ, atq́ cateruis
Diſpoſitis peditum: numeroſa pecunia tanti
In ſumptum belli ex fiſci depromitur arcis,
Et plauſtris portanda datur, gratiſſima merces.
Iamq́ duo reges Anglus prior, atq́ ſecutus Baruicum oppidum obſidione cinctum.
Deinde Scotus, coram Baruico mœnibus altis
Munito auſpiciis dextris tentoria figunt,
Qui Scoticos iuxta Tuedam circumiacet agros.
Baruicum muris locus eſt firmiſſimus amplis,
Ex cæmentatis ſaxis, ex aggere celſo,
Vt facile incluſos inimico liberet enſe,
Ferre queat duros curuæ teſtudinis ictus.
Adde quod inſignis ſtructa arx ex rupe cauata
Oppidulum exornans munitetur nubibus atris
Altius inſurgens, vicinaq́ proſpicit arua
Fœta armis pugnæ omnigenis & milite forti. Oppidi deſcriptio.
Plurima per totos tum propugnacula muros,
Quæ Baruicum hoſti fere inexpugnabile reddant.

Tueda latus firmat, quâ humectat nubifer auster,
Tutatur pontus, Titan vbi surgit ab Euro,
Illustrans claro spacioſam lumine terram.
Pars Borealis habet, qua fiat fortior arcem,
Indigenaſq; ſuos habitantes montibus vrbi
Vicinis, Scotiam regionemq; inſuper omnem.
Non tamen hæc tutos tot propugnacula ciues
Principis aut arx hæc violentis liberat armis.
Nam poſtq̃ Anglorum per apricos agmina campos
Circumfuſa, cauis cinxiſſent mœnia foſſis,
Oppugnatio oppidi. Aggeréque egeſto, ferratas claudere portas
Incepêre Scoti, vulgi firmare coronis
Denſatis muros & grandia voluere ſaxa.
Oppugnant parte ex alia molimine vaſto
Anglorum ſolido fulgentes ære cohortes,
Pars horum portis crepitantes admouet ignes,
Ferro alij biſores tentant excindere valuas.
Illi vulcanum iniectum reſtringuere contra
Totius oppiduli vicatim fontibus hauſtis.
Vtque auido præſens vitetur ab igne periclum
Terreus ingreſſu portarum apponitur agger,
Arceat vt noſtros, & aquis feruentibus hoſtes
Perfundunt aditum quærentes enſe Britannos.
Haud impunè Scotus tulit hæc, pars ſaucia fundis
Contortis, alij miſſa periere ſagitta.
Obſeſſis nec erat lucis nec noctis opaca
Tempora facta quies, animi gliſcebat in horas
Ira vltrix præceps & pugnæ inferbuit ardor.
Nocte intempeſta ſimulant ſe ſcandere muros.

Tympa.

Tympana rauca ſonant: Scalarum mentio facta
Cum clamore metus exangues incutit hoſti.
Iamqúe loco hoc aditum hic, alius quærebat in illo:
Apparent tenebras per ſpiſſas veſtibus albis
Brutigenæ ex lino, inſomnes traducere noctes
Cogitur obſeſſus, timor & ſpes vrget vtroſqúe.
Interea in caſtris menſis proceſſerat vnus,
Dira Scotos & acerba fames in mœnibus arctis
Concluſos vexat, grati penuria victus
Gliſcit, & exiguus panis venundatur auro:
Piſcis erat nullus, caro nulla, obſonia nulla,
Paulum acidi vini. Socios dux maximus arcis
Conuocat, atque loquens ſic in pauciſſima confert.
Quis neſcit quod nunc noſtræ coguntur in arctum
Copiæ, & hinc nobis non fas abrumpere ſede
Deſerta, peruſſe fame eſt crudele, tremendum
Triſte genus mortis, preſertim corpore ſano
Robuſtoqúe viris: maturum decidit vltro
Pomum, immaturum manibus diuellitur & vi
Admota, quis membrorum mortalibus vſus,
Quis fructus vitæ, ſi grata cibaria demas?
Et caput atque manus præſenti morte peribunt,
Si ventri deſunt alimenta. Quid ergo ſodales
Suadetis, dedam certis ego legibus vrbem?
Quam tandem fortes capient pugnando Britanni,
Inflicto captos perimentes vulnere ciues,
An ſinam ego vt veſana fames nos opprimat omnes?
Deſierat caſtri præfectus dicere plura,
Cum fremit incertum ſtridenti murmure vulgus.

Oratio arcis Baruicenſis præfecti ad Socios.

E multis tandem placet hoc, è mœnibus album
Appensum conto tendunt velamen oliuæ
Pacificæ signum, poscentes supplice voce
Affari Regem, siue è magnatibus vnum.
Mittitur extemplo è castris ad mœnia quærens
Quid poscant: cum sic miles prouectior inquit.
Postulat apponi turba hæc obsessa Scotorum
Gratiam eam, pactas aliquot si forte dierum
Propitio Eduardo (quæ sit clementia Regis)
Impetret inducias, promittit dedere castrum
Oppidulumq; suum, ni qua septentrio spectat
Baruici muros manus auxiliaris ab ipsis
Regni principibus missa ac illapsa veniret
Pactæ inducix. *Noctu infra spacium plus vel minus octo dierum*
Subsidium victumq; ferens: Nos sede relicta
Ædibus & proprijs nostro de iure Britannis
Cedemus, Regi Eduardo dedemus & arcem.
Obsides dati. *Obsidibus promissa datis firmare iubentur,*
Hisq; datis bis sex pro tempore fecit vterq;
Inducias pacto. Nequit at fallacia gentis
Tecta latere diu, cuius graue pectus abundat
Fraudibus ingenitis & non egit arte magistra.
Vix ter circuitu phœbus paragrauerat orbem,
Cum vigil in castris obnixius excubat Anglus,
Perq; vices alij ac alij in statione manebant.
Quarta dies aderat, nimium spirantibus Austris
Littus ad occiduum sol declinauerat, atra
Nox deinde asperfit terras horrentibus vmbris.
Grata quies hominum, volucrũ, pecudũ atq; ferarũ

Cor-

Corpora tum molli mulcebat fessa sopore,
Curabant tantum vigiles borealia vici
Mœnia, ne Scotus hâc furtim perrumpere posset
Ex pacto quoniam conuenerat inter vtrosque
Aut hac auxilium venturum parte petitum,
Aut arcem obsessam se dedere velle Britannis.
Ecce venit medys tenebris acerrimus hostis
Dacetus, Scotiæ Satrapes primarius, vsus
Circuitu circa passus ter melle remotis
A castris eques, & turmis comitantibus intrat
Anglorum fines, transmisso flumine Tuedæ.
Iam quamuis inhiberet iter pons ruptus ab imo
Saxeus oppidulo propior gradientibus obstans:
Attamen excelsam venit Dacetus in arcem, Dacetus cũ paucis alijs Baruicum noctu ingreditur.
Ex socijs aliquot summersis gurgite vasto.
Continuo toto Baruico clamor in auras
Tollitur, & læta testantur gaudia ciues
Voce, sed in magnum subitò conuersa dolorem:
Namque mali connicta doli plebs improba, pœnas Scoti fœdifragi.
Quas facto meruit, paulo post iure pependit.
Fama rei gestæ volitans pernicibus alis
Ante diem exortam venit in tentoria Regis.
Postera lux oritur, fatula suspenditur obses
In cruce, regali ex mandato primus & alter, Obsides cruci affiguntur.
Et simili læthо decreuit dedere morti
Quoque die binos, donec foret vltimus horum
Absumptus laqueo. Tum denique sero nefandi
Pœnituit facti ciues, fideique solutæ.
Hic procul agnoscit defuncti corpus amici

Acre

Aere dependens gelidis agitarier auris.
Dedecus ille ſuo generi lugebat inuſtum
Infami latho, dum pendet ab arbore gnatus
Vrbis conſpectu, miſeræ ſpes vnica matris.
Crimbus exululant paſſis per mœnia ſtantes
Fœminæ, & infirmis plangunt ſua pectora palmis.
Fames obſeſſos premit. *Sed quia dura fames malum ineuitabile portis*
In mediis peſtis prorepens gliſcere cæpit,
Euacuans auidis paulatim faucibus eſcas
Omne penu. Leuat hos ex magna parte dolores.
Commentum ecce nouum ſimile inuenere priori,
Inuitis vt parua cohors perrumperet Anglis
Caſtra, & ad incluſos, arma auxiliaria, lætos
Inferret q3 cibos, ſpacium rurſum octo dierum
Si Rex donaret: techna ridere reperta
Optimus Eduardus, votis tamen annuit iſtis.
Gloria, non Regi prædiues præda petita eſt,
Quippe ſagax rem tractari præſenſerat aſtu.
Secundò inducíæ pactæ. *Pax erat in caſtris, reſupino corpore ſtertunt*
Iam Baruicenſes, & curant membra ſopore.
Suauis enim ſtomacho latranti defuit eſca.
Sol medium curſum cœlo confecerat alto
Signifero, horrendi percurrens terga Leonis,
Præcipiti lapſu properans, quo lucidus ortum
Veſper habet. Duris acies thoracibus ære
Montibus apparet procedens agmine longo.
Ingens Scotorum exercitus apparet. *Latis ſicut oues paſcentes gramina campis,*
Aut vbi in apricis exultant collibus agni
Eripiunt oculis numerum: terram vndique complet

Corniger,

Corniger albentes aries dux eminet inter
Fœmellas, animi virtute & robore pollens:
Armatusqué suo telo mala dira minatur.
Haud aliter Scoticæ ferratæ monte phalanges
Se procul ostendunt, complentes milite campos.
Inde in planitiem glomerati passibus æquis
Descendunt, sua & audates vestigia firmant.
Quisque suum tollit signum vexillifer & dux
Ante omnes, capite ac humeris excelsior, ibat.
Tueda suas vltra ripas increuerat illo
Temporis articulo fluxu maris. Vnde sciebant
Anglis esse fugæ sceleris spem prorsus ademptam,
Viribus humanis freti, non numinis vllo
Auxilio iactant elato corde superbi
Se fore victores, occidendosqué Britannos
Verbere Lanceolæ, ac ictu mucronis ad vnum,
Sic gesto nondum bello cecinere triumphum
Inflati. Spes & gens prauа fouebat inanes.
Magna quoque obsesso populo fiducia creuit,
Aduentare suas acies campestribus armis,
Cùm procul aspicerent, & quisque agnosceret arma
Patria de bysso & procerum vexilla suorum.
Frysselli fratres incedunt ordine primo,
Gualteruſq; Stuard, tum Cardoil atq; Grehamus,
Parkeys & Gurdon, Brydus, Gramatus, & acer
Gilbertus Douglas, Comes & Morreyus Abbbyn
Insignes ostro, mileſqué gregarius hastas
Lanceolasque manu portat thoracibus æreis
Corpora contectus, galeisq; micantibus omnes

Tueda propter fluxum maris inundabat.

Iactantia Scotorum.

Ordo Scotorum acie iustructa.

Nomina nobilium Scotorum.

Tristes

Tristes ore minas sæno spirare videntur.
Hi clari comites aciem duxere secundam
Postremamq́ pares istis in honore duelli.
Moseus, inde Moris, Valam, Gordenius heros,
Alanusq́ Stuard, cui Sotherlandia nomen
Donat honorificum, nitidis & Ruffius armis
Lynnax, & Cambel, comes Atheleius, ille
Pulcher Alexander Brus, Cetonusq́, Groosq́,
Lyndesus, atque alij, quorum celeberrima fama
Europæ quorum per latas funditur oras
Gloria, clarorum proauorum stirpibus orti.
Ingens præterea numerus sine nomine vulgi
Agrestis supra decies sex millia quinque,
Anglorum acies. *Structa acie stabant: contra non segnius Angli*
Expediunt enses, præacuta cuspide pila,
Neruos, & binis sinuatos cornibus arcus,
Spicula de duro ferro limata, sagittas,
Conspicuæ plumis summo pendentibus ardent
Vertice, splendenti solis sub luce cohortes.
Oratio Regis Angliæ ad suos prælium inituri *Ordinibus prius instructis rex arduus infit.*
Aspectu recreor vestro, de gente vetusta
Brutigena, hic alacer vultus vos indicat esse
Intrepidos mortis nulloq́ timore teneri.
Sic decet ingenuos, dignam & me principe plebem,
Milite qui forti stipatus, nobile martis
Tentat opus, causa & pia belligerantibus adsit,
Ibit in aduersos princeps audacior hostes.
De socijs mihi polliceor quod maximus olim
Tentaturus Alexander fera prælia contra

Per-

Perſas, & fretus Macedûm virtute, Darîum
Regnatorem Aſiæ. Quod ſi quæratur honeſtum
Dignius an fieri magno quid principe poſſit?
Vel quid honorificum magis? in ſua regna carentem
Reſtituam vt Regem patria laribuſqúe paternis?
Quæ ſit ab hoc populo nobis iniuria nuper
Non illata ſemel, prodenſq́ volenſq́ tacebo.
Faxo ego ſi viuam, vt diſcant non temnere Diuos,
Iuſtitiam haud violare ſacram, non pellere Regem
Hæredem de iure ſuo. Scelera iſta quouſque
Mi pater omnipotens oculis Deus aſpicis æquis? Precatio Regis qua inuocat numen.
Sis Deus è ſummis cœlis acerrimus vltor
Iſtorum ſcelerum, virtutem infundito ab alto
Pectoribus noſtris, hoſtiqúe immitte timorem.
Propitium nobis aderit (mihi credite) numen,
Si quiſque vrgebit pugnando viriliter hoſtem.
Quid moror? euentus præſagia ſentio læti.
Ergo agite in tenuem ſublatis aëra ſignis
Pectore fidenti, trepidas inuadite turmas.
Finierat princeps Eduardus talia fatus.
Extemplo Anglorum magnus ferit æthera clamor,
Ingeminantq́ ſimul noſtra eſt victoria, numen
Nobis aſpirans ſtimulos in pectore verſat.
Interea totis acies munitur ab alis
Arcubus & calamis conſueta ex arbore, quorum
Spicula loricas poterant terebrare trilices.
Ecce dato ſigno moniti clangore tubarum Signo dato prælium cõmittitur.
Attentant alacres magno molimine primam
Angligenæ pugnam, certatim miſſile ferrum

Offuſ-

Offuſcans ſolis ſpiſſo volat aëre lumen,
Ater vt in cælo commiſta grandine nimbus
Orta nigrantes offundit luce tenebras
Telluri. Pauidis ſubito mortalibus horror
Incutitur, campiſqúe petunt ſua tecta relictis:
Sic celeris miſſu lux eſt ablata ſagittæ,
Fortiter audaci lignum intendente Britanno,
Sudorem multo ſalſum eliciente labore,
Per medias calamus dum currit peruius auras,
Amba concurſant acies, hæſitqúe viro vir.
Non ita Cyclopum mons horruit ictibus Ætna,
Terribileſue incude ſonos Vulcanus in antro
Ignipotens vaſto flammis fumantibus vnquam
Edidit, alternis famuli dum brachia tollunt
In numerum vicibus, verſantes forcipe maſſam:
Vt tonuit ſtrepitu colliſis enſibus omne
Baruicenſe ſolum, totuſque Halidania collis.
Ictu pilorum ſternuntur multa Scotorum
Millia. Pars tenera ſtridentem fronte ſagittam
Accepit, terram pulſans moribunda cruentam:
Hic procul oppugnans latos transfigitur armos:
Interit ille, femur ferro confoſſus acuto.
Maxima pars medio ſuccumbit pectore vulnus
Aduerſum accipiens rupto thorace per imum,
Quà calidum iecur adiunctum pulmonibus hæret.
Anceps congreſſu ſtetit at luctatio primo:
Impetus at poſtquam eſt factus violentior hoſtes
In medios, hos retró pedem ille referre coegit
Plantageneta potens, cruor emanare recluſa

Carne

Carne acie chalybis, rapidi torrentis vt vnda
Incipit, aut pingues vbi terras irrigat Auster
Turbidus, emittens pluuias brumalibus horis.
Quis fando poterit cladem memorare diei
Illius, aut lachrymis potis est æquare dolores?
Quisué occisorum numerum, vel nomina carptim
Explicet, ad miserum gladius quot miserit orcum?
Qui gemitus auditi? & quæ suspiria ducta
Cordibus ex imis, animam quando oribus efflant?
O diram rerum faciem, jacet obruta cæsis
Terra cadaueribus, quæ nulla sepulchra tenebant.
Vt solet in caulas postquam perrepsit ouiles
Vrget quem vesana fames, lupus ore voraci
Sanguinis exugens riuos, desistere capto
Nusquam, præteriens semesum triste cadauer,
Sed viuas ad oues properabit dentibus asper:
Anglus ita insequitur, cæsorum corpora calcans
Integros hostes immani percitus ira,
Obstantesqué Scotos veruinis, ense, sagittis,
Protelat, donec Scoticæ languere phalanges
Cæperunt animis, paulatim & cedere campo.
Ingentem rursus clamorem ad sidera tollunt
Brutigenæ, multumqúe Scotis fugientibus instant.
Et quoties inimica cohors glomeratur in vnum,
Atq; nouum demens satagit reparare duellum,
Fessa repugnando victori porrigit herbam.
Sanguineum hoc tandem bellum nox finiyt atra,
Tum tuba defessos Anglos in castra vocabat
Imperio Regis, canturqúe receptui ab omni

Scoti cæsi & cæteri fugati.

Canitur receptui ab Anglis Eduardi iussu.

Parte cruentati campi. Tunc hoste fugato
Lætari licuit, tunc respirare potestas
Militibus, iuuat, & tutos meminisse periclı
Præteriti. Bacchus donum Cereale, cibusq́
Anglorum longam post pugnam recreat artus.
Præ nimia, nemo tenebris dormiuit obortis
Lætitia, narrat fortunas quisque priores,
Exacti nuper iuuat & meminisse laboris.
Interea (breuibus nihil est velocius horis)
Auroram roseam præmittens clarus Apollo
Lumine terrarum totum patefecerat orbem.
Tum memor auxilij diuini Eduardus, opisq́
Eduardus proxima post pugnã aurora cum suis deo supplicat & gratias agit.
Quam ferri erga hostes medio certamine sensit:
Ipse suos totis inflexo poplite castris
Iussit adorarent summum prece supplice numen,
Cantarent meritas læto modulamine laudes.
Pro nobis Dominus Deus oppugnatur in altis
Qui regnat cœlis, sanctus ter sanctus in æuum
Omne, Deus sabaoth solus celebretur honore
Dignus, & hunc timeant omnes per secula gentes
Omnia. Cœlestis Domini quis brachia nostri
Aut vim ferre queat, qui nutu concutit æquor
Fluctisonum, terram sinuosam, mobile cælum,
Eius ab Angligenis toto cantabitur orbe
Gloria. Descendit celso victoria cælo.
Numerus Scotorum in bello occisorum XXXV. M. & D.
His ita perfectis princeps tentoria liquit,
Inq́ illos vbi pugna fuit, se contulit agros.
Hic ex captiuis satraparum nomina discit
Bello occisorum paulum immutata vigorem

Anti-

Antiquum facies retinebat, in ore ſedebat
Pallor iners, ægrè vt vultum dignoſcere poſſes.
Cumq́ recognoſcit valida de gente Britannam
Inconcuſſam aciem, tantum deſiderat ipſe
Bis ſex ex toto numero, ſi iunxeris vnum. Ex Anglis periere tredecim.
Quæ pars vulnus habet, ſanatur adepta ſalutem
Emplaſtris, paucis poſt conualuitq́ diebus.
Protendens igitur ambas ad ſydera palmas
Exclamat quantum Deus, ô ter maxime, quantum
Debeo, quanta tua eſt in gentem gratia noſtram.
Interea ex ducibus quidam luſtrauerat omnem
Campum, & deciduo fædata cadauera tabo,
Vultu ſubtriſti ſimilis lachrymantibus ora,
Effugiſſe Scotos compertum aiebat habere
Saluos in patriam viginti millia quinque.
Ex tota autem acie hoſtili periſſe Scotorum
Quinque & triginta præacuto millia ferro,
Accedunt iſtis præclaro ſanguine creti
Pluſquam quingenti, claræ pars maxima gentis.
Hæc vbi cognouerit rex Plantageneta, reuertit
In caſtra ad ſocios, cui nuntius obuius ibat
Declarans ſeſe Baruici dedere cines,
Et pulchrum oppidulum præcinctum mœnibus altis,
Si modo donaret clementia regia vitam,
Vtq́ bona aſportent, illis concederet vltro.
Rex pius effuſi pertæſus ſanguinis autem
In bello, ipſorum vitæ ſe parcere dicit:
Sed bona conſtanter negat aſportanda, Britannis
In prædam ceſſura ſuis, perpulchra laboris

Ad res praclaras irritamenta gerendas.
Quid non dira fames mortalia pectora cogit?
Quid non fortuna aduersa reflante? necesse
Barwicenses se dedunt. *Telum ingens. De certa igitur pepigere salute,*
Et solis induti exibant vestibus vrbem.
Inclytus Eduardus iam fortem possidet arcem,
Oppidulũ Anglus habet turritũ, & quicquid in illo
Venisse in vacuas quem non ditauerat ædes. (est
Sollicitudo licet transuersum pectus agebat
Principis, & varius curarum pungeret æstus:
Prima tamen cura est Balioli: victor egentem
Baliolus in regimen restituitur. *Adiutrice manu solio stabiliuit auito,*
Donatum argento, stipatum milite forti.
Post vbi præsidio imposito discedere tempus
Rex Eduardus Londinum redit. *Admonet, Australes patriáq; reuisere fines,*
Londinum ingressus spacioſis nobile vicis
Excipitur summo princeps affectus honore.
Gratatur reduci ciuis, gratatur & vxor
Principe cum paruo illustris regina Philippa.
Eduardi egregias celebrant per compita laudes:
Gloria discinctos eius penetrauit ad Afros
Et Gangis ripas pernix perrexerat vltra
Fama noui belli, nostri miracula mundi.
Rex indefessus loca regni circuit ampli
Explorans vrbes, terras, hominumq; labores.
Nouum Castrum. *ORRE Apro cunctis alijs impensius illi*
Perplacet, à Scotiæ non longe limite distans,
Hic dum iura dabat, dum sontes corrigit æquis
Legibus, aduenit Baliolus, concomitatus

Principibus

Principibus Scotiæ, veterem ſyncerus amicum
Vt colat, obſeruans Regem pro more vetuſto.
Anglorum admiſſus coram prudente ſenatu — Baliolus de more vetuſto tribuit honorem Eduardo.
Regulus, hic genibus minor attribuebat honorem.
Eduardus dextra ſceptrum regale tenebat,
Ornatus palla, ſolioqué innixus eburno,
Et procumbentem roſeo iubet ore leuari,
Virtutem laudans vicini Regis, & vltro
Officium quod præſtiterat, promittit, opemqué,
Impeterent ipſum populi ſi quando rebelles.
De rebus regni, de pulchra Martis & arte
Sermo habitus nonnullus erat, iubet eſſe prioris
Fortunæ immemorem: Lato præſentibus vti
Inconcuſſum animo, reuerentem numinis almi.
Ille pias contrà grates ſubmiſſior egit:
Protrahiturqué dies varijs ſermonibus vnus
Deinde alter: inſſit cum hunc Plantageneta valere.
Regulus ALATA at Baliolus CASTRA petiuit. — Edinburgum.
Luna ſuos creſcendo frequens reparauerat orbes, — Eduardus in Brabantiam proficiſcitur.
Auocat externas Eduardus Flander in oras
Ad conſultandum de iſthoc, quod poſſit vtriſqúe
Pòſt in rem verti. Cognatio iunxerat arcta
Flandrenſem Comitẽ, charam vxoremq́ monarchæ
Anglorum. De ſumma igitur rerum ante loquuti
Fœdus amicitiæ ferunt, celeſteq́ numen
Accerſunt teſtem ſacrati fœderis, vllis
Non dirumpendi vita ſuperante diebus.
Flandrenſes proceres ſummis conſenſibus implent
Hæc ita iurantes, Quo facto nauigat vncis

Puppibus in patriam latissimus Anglicus Heros.
Hoc malè habet Gallos postquā increbescere cœpit
Sparsus Parrisijs incerto authore superbis
Rumor, eis torpet gelida formidine pectus:
Valoys rex Gallorum comminatur Eduardo
Vrebat bilis tumidum iecur atra Valesi:
Quare consultis satrapis prior arma parabat
Inferre Angligenis, causas aliquas vel iniquas
Inueniens, Fraudem virtute præoccupat Anglus.
Eduardus indicit bellum Gallis & Regis Celtarū insignia suis intermiscet iure hæreditario.
Bellum namq; ferum Gallis indicit, vt hæres
Legitimus regni Celtarum, insignia gentis
Ille suis immiscet atrox, quod anunculus orbis
Carolus è vita ad superas migrauerat oras.
Cuius erat germana soror quoque sola cohæres
Eduardi genetrix Isabella decora venusto
Vultu, de veteri productæ propagine Regum.
His motis causis iam Plantageneta palacras
Appatatus belli.
Auri corrasit miranda promidus arte,
Argenti puri massas, vel deniq; quicquid
Rerum præsenti bello conduceret aptum.
Sed prius ad comitem Flandrensem pergit amicum
Consultaturus trans æquora falsa, recuruis
Magna cohors armata simul prouecta carinis
Eduardum stipat: puppes iam gurgite vasto
Eduardus nauigat in Flandriam.
Ære secant medium boreali flamine pontum.
Conigeros nautis validis ascendere malos
Mandat Nauclerus, galea stans nauita summa
Innumeras puppes agitari nunciat vndis
Fluctiuagis: numerus quantus foret, inde rogatur:
Quot teretes crescunt intonsis montibus orni:

Respon-

Respondet. Rursum cuiates: voce canora
Sunt Galli, tum rex nauali cuncta parari
Pro bello iubet vt Vulcania protinus arma
Expediant, nusquam cæptum deflectere cursum
Auderent, membri chari capitisquè periclo.
Sol partes cœli splendenti luce secabat
Ipse alto medius seclusis æthere ventis:
Clarus luctiferam pugnam tentare Valesius
Admonet ecce suos, prensas harpago carinas
Arctabat, vehemens bellum crudescit vtrinq;. Prælium nauale.
Voluitur hic præceps imo mergendus aquarum
Flumine & æquoreis dulcis fit piscibus esca:
Ense perit prius enectum socij in freta iactant
Illum. Ita supplicium gemina vnus morte luebat.
E galeis proiecta cauatis desuper ipsos
In Celtas grandi mittuntur pondere saxa,
Quæ caput eminuunt collisaq; corpora mœsta
Morti dant, hominum sparguntur transtra cerebris.
Impetus in Gallos crepitante fit acrior ense,
Galli propulsant illatos fortiùs ictus
Oblongis contis, rubro maduere cruore
Vtraq; pars, hostes Angli violentiùs vrgent.
Hei mihi quis torrens lapidosus, cuius origo
Alpibus aëreis hybernis imbribus auctus,
Maiori cursu patulum defertur in æquor?
Iam non cærulei pontus glauciq; coloris,
Sanguineus sed totus erat. Cruor emicat altè
Vulneribus, ceu cum vitiato fistula plumbo
Rumpitur, herbosi humescunt aspergine campi.

Nemo ſuam quærit certam fugiendo ſalutem,
Nec terret quenquam præſentis mortis imago.
Poſt octo integras citus inclinauerat horas
Pugna hæc naualis continuata eſt à meridie ad crepuſculum auroræ ſequentis. Anno. 1340.
Phœbus ad occaſum, media illo inferbuit æſtas
Tempore, ſolem habuit curui domus ardua Cancri.
Pugna recens ardebat adhuc, magis ira tumeſcit.
Accreuit virtus animis, non noctis opacæ
Caligo dirimit, non prælia cæpta tenebræ.
Haurit aquas illa atq; hæc dilacerata carina,
Conuulſis per vim tabulis. Subſidere ſenſim
Sub freta vidiſſes populo exclamante (perimus)
Accenſas naues, nec dum deferbuit ira.
Acrius inſiſtunt furioſa mente Britanni:
Sicut nunc primum ingreſſi certamina dira
Sæui Mauortis. Pugnæ capiuntur amore
Vnius interitum populi quaſi triſte minetur
Sidus, & aſpectus Martis crudelior eſſet
In Celtas. Tabulata ratis non pergula ſeruat
Incolumes cæca quærentes nocte latebras.
Mors truculenta hoſtes fermè conſumpſerat omnes:
Millia triginta ſæuo hoc periere duello.
Triginta millia Gallorum occiduntur.
Vltima pars noctis dubiaq; crepuſcula lucis
Imponunt pugnæ finem. Victoria ceſſit
Eduardo illuſtri, ſummerſa aut Gallica claſſis
Capta ferè aut tota eſt. Pauci euaſere fugati.
Aſcribit laudem rex Plantageneta Tonanti,
Qui iubet vt genibus diuina precatio flexis
Dicatur, meritoque Deum venerentur honore.
His ita compoſitis hinc Plantageneta regreſſus

lu-

Fluctibus æquoreis traiectis, venit in arcem
Vrbis Londini, quam præterlabitur amnis
Piscosus Thamesis famæ celeberrimus inter
Albionis riuos. Tum visit nobile castrum
Vindesorense, hic festum solenne diebus
Quattuor indicit celebrandum, huc conuocat omnes
Regni primores, thalami sociásq; iugales.
Ordine quisque suo præclarus templa petebat:
Sacra facit senior, templis tribuuntur honores,
Numine placato, mensis discumbitur ostro
Instratis, pendent tectis aulæa superba,
Lympha datur manibus solito de more lauandis,
Dona ministrantur Cereris, mox plena Lyæi
Pocula, maiorum quæ signabantur auorum
Effigie Eduardi. Rex & Regina sedebant
Excelsi solijs. Procerum celeberrima turba
Inferiore loco. Quorum mantilia summis
Dependent humeris, dapibus vescuntur opimis.
Ter centum famuli incedebant ordine longo,
Cura quibus mensas epulis onerare nitentes.
Facto vbi magnates comedendi fine quiescunt,
Exonerant dapibus mensas, iterumq; lauatur.
Tum princeps pleno vini cratere propinat
Omnibus hospitibus, pateras quisque ordine siccat.
Dum celeres horas vario sermone leuarent,
Sic pius Eduardus, certamina ludicra Martis
Mox haud iniucunda meæ spectacula plebi
Exhibeamus ait. Proceres quid dicitis? omnes
Assensum præbent. Phaleræ, bullataq; fræna

Eduardus reuersus in Angliam petit castrũ Vindesorẽse. Epulum [illegible]ui Georgij.

Decursio ludicra.

Aurata ſelle, ornamenta parantur equorum,
Conſcendunt & equos. Rex ſculptis aureus armis
Sternaci vtebatur equo, gr[illegible]ibus haſtis
Fraxinei ligni grandi concurritur ictu,
Aere vt haſtarum ſummo fragmenta volarent.
Quique ſui frontem vibrata percutit hoſtis
Cuſpide, perrupto lignoque reuerberat ipſum
Crebriùs, hic primas huius certaminis aufert.
Nox interueniens curſum dirimebat equorum,
Rex procereſq; eius repetunt conuiuia lati,
Noctes & cœnas dixiſſes eſſe Deorum.
Quatriduo exacto concertatoribus ampla,
Præmia dat princeps, baccatas induit illis
Crura periſcelides, quas vnio miſtus Eoüs
Commendat, flammis interlucente pyropo.
Præterea ex auro puro quod odorifer Indus
Miſerat, inſerta donabat Iaſpide gemma,
Si formam ſpectes duplicato ex Sygmate torques.
Et ſtatuit numerum præclara hac claſſe locandum
Stirpis honorificæ primates quattuor atq;
Viginti, ante alios quorum laus bellica floret.
Hoc ſacrum ille ſuos iuſſit ſeruare nepotes,
Egregium ſanè factum, quod nulla vetuſtas,
Nulla aut annorum ſeries abolere valebit.
Namq; ad virtutes ingens eſt gloria veras
Ac oblatus honor ſtimulus. Mittuntur ad ædes
Inde ſuas ſatrapæ regali munere dites.
Intereà Princeps Gallorum iniurius Anglis
Multa parat, gẽtemq; Britannam prouocat atrox.

Prima inſtitutio ordinis equitũ Auratorum D. Georgij.

Rex donat eos equites ligamentis tibiarũ quibus inſeruntur gemmæ pretioſiſimæ.

Donat eos torquibus aureis figuram duplicis Sygmatis habentibus in vnaquaque catena.

Non

Non tulit hoc placida præclarus mente monarcha
Anglorum, comites patriæ sibi quattuor audax
Adiunxit socios, Celtarum littore vastat
Occiduo positas flammis crepitantibus vrbes.
Hoc agit armatus bis centum puppibus vltra
Quadraginta, vnde exultans in regna reuectus
Patria, de minimis lixarum haud perdidit vnum.
Mox narrans satrapis quæ stet sententia menti
Quanta sit à vasris illata iniuria Celtis.
Carolus vt matris frater discesserit orbus
E vita, vtque eius sit solus & vnicus hæres
Consilium ex toto prudens, vocat vndique regno:
Quo fiunt ista hæc sacri consulta senatus.
Principio fiscus pingueścit regius amplo
Prouentu, dante ex decreto plurima ciue
Quolibet, & multis (belli præsentis in vsum
Suppetat vt nummus) cudentibus aurea vasa.
Quamuis imposita nonnullis sarcina iusto
Durior & grauior, regi dare nemo grauatur,
Cætera sanxerunt ir publica commoda plebis:
Atque senatores discedunt ante vocati.
Arma statim iussu promuntur bellica regis,
Cælata induitur generosior arma iuuentus.
Conuenere equitum turmæ, peditumq; caterua,
E portu soluunt patrio fœlicibus Angli
Auspicijs, Borea vento sua vela secundo
In pelagus proflante. Sinu Normania frugum
Fertilis excepit puppes portuque Britannos.
Hic vbi erant paulum recreati, castra mouebant

Eduardus adiungit sibi Varuicēsem comitem & alios tres.

Maritimas Galliæ vrbes occidentales vastat.

Rex domū rediens conuocat senatum in quo exponit regnum Galliæ iure hæreditario sibi deberi. Tributa pēduntur.

Classis Anglorum appulit Normaniam.

Vlte-

Depopulatio agrorũ & oppidorũ Normaniæ.

Vlteriùs, multas pulsis cuſtodibus ædes
Diripiunt: fruges alimenta futura colonis
Condita ſub tectis, & auena ſaginat equorum
Corpora: ſtramentum aſſuetos ſeruatur in vſus:
Horrea flammifero Vulcanus corripit igne.
Palantes parui pueri cum matribus errant
Orbati patribus, modò qui cecidere perempti.
Hæc ſunt ad ſæuas Anglis præludia pugnas:
Et quocunque loco campis ſpaciantur apertis,
Vnius implebant iter agmina lata diei.
Perueniunt tandem Caadmum. Pons flumine vaſto
Celſus inacceſſam cum villa reddidit arcem.
Tum pugna exoritur crudelior inter vtroſque
Armatos aliquot Cadomi dux collocat arcto
Cadomi expugnatio.
Ponticuli, facilis pateat ne tranſitus Anglis.
Brutigenæ Celtas celeri petiere ſagitta.
Res manibus poſt cepta geri: ſternuntur opaco
Puluere Lathali confoſſi vulnere Galli.
Vnus erat captus Comes, alter ſanguine claro
Natus, honorificum cui Tancaruilla miniſtrat
Regulus Tancaruillæ capitur.
Nomen, & agnoſcunt ſe armis pars maxima victos
Abiectis, muros rex depopulatur & arcem.
Euerſa hinc villa binis exercitus alis
Arcubus armatis qui in Celtas ſpicula mittant,
Progreditur cæde & ferro latè omnia fædans.
Vulnifico ceu cùm graſſatur lurida peſtis,
Serpit & inficiens mortalia corpora tabo.
Horrifer aut quando patefactis irruit antris
Eurus & ingentes ſyluas & robora ſternit

Flamine

Flamine conuellens altis radicibus ornos.
Contra aciem magnam tremebundo corde Valêſius
In campum adiunctum & vicina coegerat arua.
Non tamen Angligenas aduerſum, eſt auſus aperto
Tendere Marte, feris conſligere fortiter armis.
Sed procul obſeruat trepidus ſilueſtribus errans
Colliculis, quid agat vel quò paret ire Britannus
Cautus in hoc ſaltem patriæq́, ſuiſq́, ſibiq́,
Proſpiciens, Gallis mandauit rumpere pontes
Conuexos, ſaxis vt pacto hoc arceat Anglos,
Vtq́ iter impediat. Cum nil obſtare videret
Brutigenis validis: fierent quin peruia quæque
Ardua, Parrhiſios ſe concomitante caterua
Contulit, extemplo trepidam præmunit & vrbem,
Rumpendos Sequanæ pontes ante omnia curat.
Securus ſibi viſus erat iam Celta, meatu
Fluminis occluſo. Miles tamen excubat hora
Qualibet, incurſum tum formidabilis Angli,
Tum metuens vrbis furibunda incendia pulchræ.
Aſt iter accelerans Anglorum exercitus acer
Improuiſus adeſt. Sed poſtquam nuncius omnes
Pontes perruptos, aditus conamine ſummo
præcluſos retulit, rex implacabilis ardet,
Multa animo ſecum ac irata mente volutans.
Hæc demum potior viſa eſt ſententia Regi,
Fluminis ingentem qui præterlabitur vrbem
Parrhiſios, pontem reparat rex impiger horis
Quadraginta octo, facilis traiectio facta
Militibus Sequanam cis flumen in ordine ſtantes

Valeſius cogit exercitum.

Pontes fluminum perrumpuntur iuſſu Valeſij ad arcendos Anglos.

Anglus reparat pontē Pariſijs ruptum, duorū dierū ſpacio.

Vltro

Vltro lacessebant hostes ad prælia Gallos:
Ex æquo tandem cúm copia nulla daretur
Pugnandi, princeps mouit sua castra Britannus.
Oppidulis totis ab agris dum transit in agros
Deletis, rapidos Phaethontis crederet ignes
Vndiq; per terram hanc si quis vertisset vecllos
Attentus, donec miles venisset ad arua
Iuxta Cressidis nemus. Hic tentoria fixit.
Vallis amœna fuit pratis vernantibus, amnis
In media fluitat tenui pellucidus vnda,
Hinc latis aruum spacijs accliue iacebat
Parrisios versus quod proscindebat aratro
Rusticus indoctus festiua tempore pacis:
Hinc latus aprici collis, iugaq; ardua quercus
Cressidis sylua reddebant inuia dumis
Commista, hirtarum siluestria lustra ferarum.
Angli valle graues hac laxauere labores,
Somno indulgentes & post obsonia sumunt.
Decurrit subitò in campum speculator ab altis
Montibus, exclamans regem aduentare Valesum,
Millibus innumeris stipatum: dat tuba stridens
Clangorem clarum vicibus per martia castra
Tergeminis. Angli voce vna arma, arma sonabant.
Continuò Eduardus, præacuta capessite tela,
Forti animo inuicti: genus ortum à sanguine Bruti:
Vota mea altitonans exaudiit æthere summo.
In manibus vestris hodiè iam præda petita est.
Audio non regem solum, sed totius omnes
Gallia adesse viros antiquo stemmate claros.

Postquam pugnę nulla dabatur copia mouet castra Caletum uersus.

Omnia in itinere flammis corripiuntur.

Sub Cressei dis sylua Anglus tentoria figit.

Valesius insequitur Anglos magno stipatus exercitu.

Rex ad prælium hortatur suos An-

Cur

Cur toties victam valido certamine gentem
Victores metuent, damaſqué timere Leones
Incipient? clemens deus hoc auerterit omen.
Quod ſi armentorum ſit dux imbellis, inibunt
Nunq̃ armenta acrem pugnã: cum imbellibus inq̃
Pugna futura hodie eſt: Venient, vt ditior Anglus
Excedat campo ſpoliis oneratus opimis,
Ex byſſo veſtes, fuluum aſportabitis aurum,
Et digitos gemmis ornabitis, ære crumenas
Signato, ſi ſtare loco, ſi audebitis hoſtes
Impetere & timidis infligere vulnera Gallis.
Dixerat Eduardus conſueto copia more
Militiæ inſtruitur, tutantur cornua lecti
Arquites armis leuibus, volucríque ſagitta.
Prima acie princeps hæredem collocat Anglus
Imberbem, qui non dum octauum impleuerat annũ
Et decimum, non dum tenera lanugine malas
Texerat impuber, bellandi vt diſceret artem.
Ipſe locum medium pictis rex occupat armis,
Ad loca deducens aciem propiora iugoſo
Cheſſeidis nemori ne quid poſt terga pericli
Forſitan accideret, collem ſic tramite Celta
Scanderet acclui, & locus eſſet iniquior hoſti
Bellum incepturo. Gallus cum cedere retrò
Hoſtem conſpiceret, præſidens ocyus acri
Addit equo calcar, ratus aufugiſſe Britannos.
Signa canunt rauco cœlum clamore replebat
Vtraque pars, turmas currentes excipit Anglus
Arcu curuato, lathalia ſpicula vibrans.

glos ſe ſtrenuos in pugna præbeant.

Acies Anglorum inſtruitur.

Eduardus regis filius primam ducit aciem adhuc 18. annorum.

Exercitus Britannicus à tergo ſyluam habet ne circumſepta à multitudine inimicorum periclitaretur.

Gallus ratus Britannos metu perculſos retroceſſiſſe in eos impetum facit.

Excutit

Excutit è ſella ſeſſorem ſaucius ictu
Bellator ſonipes, tundit quoque calce magiſtrum.
Alter equus longa confoſſus arundine ſæuit
In ſocios patrios, conturbato ordine retro
Strenuus inſultans antiqua cubilia quærit,
Poſt alios alij excuſſis vectoribus illâc
Atq; hâc tranſuerſim: ſæpes foſſæue profundæ
Nil iter impediunt, currentibus auia ſparſim
Per lsca, tellurem in curſu ſignante cruore.
Procurrunt pedites Galli crudelia telis
Prælia miſcentes, Angluſq; reuerberat ictus.
Ductores primi Celtarum vulnera paſſi
Enſe cadunt, princeps quem ſæuus fluminis Albis
Accola cognoſcit Regem, Lorennius acer
Duxq; Dalanſonus, comes Harcourtes, Bloysatq;
Aumarles, alijq; quibus de ſtemmate auito
Nominis accreuit ſplendor, vel ab arcibus altis.
Occidit attoniti nec non pars maxima vulgi.
Fulminat enſe pater Princeps Eduardus, & eius
Filius impubes, illoq; Britanica virtus
Quanta ſit eluxit bello, quo millia caſa
Triginta aut plus eo, campiq; cruore madebant.
Quod poſt quam fieri aſpexit de colle Valeſius,
Continuò celeri curſu dilapſus equorum
In patriam remeat: Gallis quod dedecus ingens
Et ſibi turpe fuit: nam plures ipſe cateruas
Abduxit fugiens tenuit quàm belliger Anglus.
" *Principio pugnæ tantum valet eſſe cruento*
" *Pugnacem bello, tum toto gaudia campo,*

Equi Francorum Saucij ſagittis excutiunt ſeſſores & ordines perturbant.

Duces & comites aliquot clariſſimi cadunt.

Eduardus ipſe & filius pugnant acerrimè. An. 1344.

Valeſius vbi vidit tantã ſuorum ſtragem fugit turpiter.

Anglus victor.

" *Pectus*

" *Pectus & implêrat concentus muſicus aures:*
Dulcibus exuuijs Gallorum auróque potiti,
Vmbrifero repetunt noſtrates veſpere caſtra.
Mane orto ſolis radiantis lumine Celtæ,
Rurſum collecti, turbam agglomerantur in vnam
Tentaturi armis, mutabilis alea martis
Num ſit, quos hi tres Comites prece principe multa
Tandem exorato, vt det Marte laceſſere Gallos:
Varuicenſis atrox ſimul Huntingtonius heros,
Amptoniſq́; decus ſummum Borealis adorti
Et improuiſo duro certamine fundant.
Tum licuit tuto totis excurrere campis
Eduardo, & ſocijs belli iam nemo repugnat.
Galli Brutigenis ſeſe non amplius audent
Obijcere, aut armis contra caſtrenſibus ire.
Hinc tribus exactis rex mouit caſtra diebus
Ad Geſſoriacum littus, dein claudere vallo
Oppidulum & foſſa cæpit, cum fraude Valeſi
Et prece pellectus Scotiæ qui ſceptra gerebat,
Anglorum inuadit fines, atq́; omnia flammis
Committit. Prudens Regina abſente marito
Fœdifragi incurſus intercluſura cohortes
Armatas cogit, nec opus monuiſſe colonos
Vt ſint auxilio: nullo monitore gregatim
Confluxere, citas & tardius ire queruntur
Horas ad ſceleris vindictam: haud omine dextro
Iam Scotus intulerat vim Dunelmenſibus agris
Cum formidandum ſæuus bellum inſtruit Anglus
Aggrediturq́; hoſtem violantem fœdera ſacra.

Poſtridie tres comites Varuicenſis Huntingtoniq́ & Amptonius nouã cum hoſtibus pugnã ineunt, & eos fundunt & vertunt in fugam.

Eduardus obſidet Caletum.

Dauid Scotiæ rex impulſore Gallo facit impreſsionem in Angliam.

Scoti cæsi & fugati. Anno. 1345

Nominis incerti Scotica plebs obuia gentis
Sternitur & tristi gladio cadit impia turba.
Frustra obluctantur Scotiæ Comitesq; Ducesq;,
Quorum pars iacet occumbens, pars cætera capta
Captiuum corpus dedit vincentibus, auro
Et pacto pretio redimendum, bellicus vt mos
Postulat. At Dauid Scotiæ rex, captus, ad vrbem
Londinum fidei pendens dignissima fractæ
Supplicia, adductus celebri concluditur arce.
Exiguus numerus volucri pede fissus equorum
Effugit in patriam testis certissimus Anglos
Deuicisse suos, & tristia funera narrant.
Fama rei gestæ teneris trans æquora pennis
Peruolat, Eduardo recto cuncta ordine pandens.
Tum Gessoriacum littus circumsonat omne.
Tum magnis latos campos clamoribus implent
Brutigenæ. Dolet audito rumore Valesius,
Inuidet & mœsto tristatus corde Britannis
Fœlicem rerum successum, belláque fausto
Omine gesta diu, tot ab hoste relata trophæa,
Non Gessoriaci tamen oppugnatio cessat.
Incola nec requiem capit vllam: vexat vtrinque
Ciues hinc vesana fames violentior hostis,
Inde Britannorum per celsa volatile telum
Mœnia traiectum, Mors vndique dira minatur,
Non hiemis torpens frigus, non flammeus ardor
Æstatis, potuit muris depellere Regem.
Vndecimus iam mensis adest, & longa videtur
Obsidio. Galli veniam pacemq; precati,

Dauid rex captiuus perducitur ad arcem Londinensẽ.

Vltro

Vltro se dedunt, miseris si viuere detur
Muneris esse loco, magno pro munere poscunt.
Æratas miles per portas Gallicus exit.
Vrbs patefacta datur firmis cum mœnibus Anglo.
Nec mora, præsidio imposito rex inclytus æquor
Traijcit angustum, patriasq; reuertit ad oras.
Nocte intempesta saluus claram appulit arcem
Londini, ciues summo venerantur honore
Egressum puppi, & testantur gaudia structis
Ignibus, & lautis positis per compita mensis.
Lætitia est eadem numerosa per oppida regni.
Multifido resonat crispata foramine buxus:
Gesta canit Regis dulci modulamine vulgus.
Ecce dei immemores commissi criminis vltrix
Securos Anglos inuadit noxia pestis,
Pœna grauis, rigido sed longè mollior ense.
Infantes lepidi modo sano corpore morbis
Correpti medijs matrum moriuntur in vlnis,
Atq; animas ægrè miseris cruciatibus efflant.
Pars, postquam in venas irrepserat acre venenum
Et cor impeteret, vitiato sanguine vitæ
Sedem, oculos tollens somno torpente grauatos,
Expirat, frustra medicis sua pharmaca fidis
Dantibus: impatiens tetri pars altera morbi
Estratis surgit subito sine vestibus amens.
Dumq; immaturæ vult euitare periclum
Mortis, procumbens medijs in cursibus heu heu
Deficit, & superas auras inuita relinquit.
Sæuierat pestis bis senos improba menses,

Caletum venit in potestatem regis Anglorum.

Pestis grassatur per vniuersam Angliam.

Nullus erat pagus, nec villa immunis ab illa.
Occiderant hominum & puerorum millia centum
Sic quos non fera vis, non hosticus abstulit ensi,
Valesius rex Gallorũ moritur. *Peste domi pereunt absumpti corpora tabo.*
Interea è vita discessit forte Valêsius.
Gallorum in regnum gnatus successerat hæres
Iohannes regnat in Gallia. *Nomine Iohannes, audaci pectore princeps:*
Ante alios idem iuuenili corpore pollens
Spe ductus patrijs pellendi finibus Anglos.
Militis armati magnam vim contrahit, ingens
Princeps Eduardus iunior regit Aquitaniã. *Atq; mouet bellum diri certaminis expers.*
Iunior Eduardus qui sub ditione premebat
Gasconiam totam, adiunctasq; coercuit vrbes,
Occasum versus, qua Phœbus spectat Iberum:
Eduardus in Pictonibus agens intelligit parari exercitũ ab Iohanne. *Hic fuit Eduardus præfectus patrius illo*
Tempore. Iohannem peditum aduentare cateruis
Stipatum admonitus, promptam produxit apertos
In campos aciem, ductor splendentibus armis.
Ecce tribus locus est vallatus mœnibus, istum
Indigenæ appellant Poyteusen: non procul, ampla
Planicies in qua ramosis frondibus arbor
Nulla viret, nec dumus inest, certaminis acris
Fit locus, hic acies congressa sanguine totam
Iohannes & Eduardus iunior in Pictonibus conferunt manus. *Perfudere atro terram: concurritur hastis*
Fraxineis, & sessores sternuntur equorum.
Victi hostes pereunt, aciei rumpitur ordo:
Celta fugit reliquus, celeri pede victor anhelus
Insequitur stringens rapido vestigia passu.
Vt canis in latis leporem venaticus aruis

Cum

Cum videt, hic prædam cursu petit, ille salutem,
Alter inhæsurus rictu minitatur aperto,
Formidat sæuis comprendi morsibus alter:
Sic Anglus præda celer est spe, Celta timore
Deiectus, cursu capitur pars maxima turbæ,
Captiuus quoque rex in castra adducitur, hosti — Iohãnes rex capitur.
Dedere qui sese quam occidi maluit ense
Inde Britannorum captus mandatur ad oras
Nauigio celeri: seruilia sub iuga missus,
Disceret vt Domino Regi parere Britanno. — Nobiliores Franci captiui supra 1500.
Plantageneta duos Reges iam illustris habebat
Captiuos, tenuit comites custodia mitis
Multos ambabus claro regionibus ortos
Sanguine, quos sæuo bello cepere Britanni.
Attamen Eduardi viguit clementia Regis
Tanta, & tanta animo virtus innata sedebat, — Io: Gallus & Dauid Scotus pretio redimuntur, fit cæteri captiui.
Vt pretio & pacto dimitteret are redemptos
In patriam ad propria consanguinitatis amicos.
Gloria consequitur Reges sic bella gerentes.
Sic certare parit decus immortale duello,
Pastores tondere boni haud deglubere cultris
Villosum assuescunt pecus. Inclytus ille monarcha
Supplicibus parcit, sed contudit ense superbos,
Vndiq; ter felix nisi quod trux Atropos occat
Ante diem gnati fatalia stamina vitæ. — Eduardus filius moritur ante patrẽ.
Sed prius in lecto suscepta prole iugali
Cui Richardus erat nomen, quem ex asse reliquit
Hæredem moriens, anus & cui sceptra tenenda
Legauit, regni vt leges & iura iubebant. — Eduardus pater moritur.

Vnde-

Richardus eius nominis 2. regnare cæpit.

Vndecimum puer hic non dum transegerat annum
Cùm iuuenile caput gessit diademate cinctum.
Sed postquam princeps iustiæ adoleuerat annis:
Dicere non facile est quantum distaret auitis
Moribus atq; animo: fuit hic quam dispare mente,
Dissimili ingenio claræ matriq; patriq;:
At virtus animis satraparum pristina mansit.
Ille vigor regni priscis herôibus olim
Floruit ingenitus, proles vt digna parentes
Æquaret fortes animis & laude duelli,
Anderet q; vltro quosuis tolerare labores.
Ergo primores populi (quia mente colebat
Rex pacem placida, sæua arma domiq; foriſq;
Languebant) veriti ne illos corrumpere possent
Ocia, ne populus solitis dissuetus ab armis
Degener inciperet fieri, se dedere turpi
Luxuriæ, somno, ludis, & inertibus horis:
Rege prius de re consultò, ludicra diri
Martis opus simulatum inter se bella mouebant,
Atq; dies totos viginti quatuor hastis
Assumptis stadio statuunt decurrere fixo.
Deinde idem numerus procerũ pars prima lacessens
Mittit ad externas gentes qui talia pandant.

Hippomachia ludicra inter anglos & externos.

Ludus ab Angligenis mense exercebitur vno
Hasticus. Vrbi hærens fabrorum dictus agellus
Extra Londini muros, spacioſus & amplus
Est locus hic stadium cursuris, certáq; meta.
Ponitur, huc veniant quacunq; ex gente creati
Sanguine magnorum heroum. Certamine victor

Qui.

Qui fuerit terris proſternens corpora plura,
Aut plures haſtas frangens donabitur auri
Multa vi, capiet quamplurima ditia dona
Præmia virtutis Richardo hæc dante brabea.
Hoc poſtquam multis innotuit vrbibus, alpes
Nubiferas vltra & citra, generoſior vt mens
Cuiq; eſt externo præclaro ſtemmate creto
Arma parans & equos ſpumoſum traijcit æquor.
E Gallis Pauli Comes aduenit, eius & hæres,
Cui piſcoſa dabat Batauorum terra ducatum.
Complures alij quos miſerat Itala tellus
Egregiæ ſtirpis Londini tempore certo
Atq; die, è varijs orbis regionibus adſunt.
Prodit ab armiſona quam Cæſar ſtruxerat arce
Anglorum rector, viginti quatuor armis
Auratis tecti magnates tramite recto
Inde ſequebantur celebris per compita lata
Londini: numeroq; pares, inſigniter albis
Seſe in equis vectas, iunxere heroides illis,
Suſpenſæ tenero baccata monilia collo;
Corpus acupictis velatæ veſtibus auro
Candenti, quibus in biſſo pictura nitebat
Aurea, ceruorum è collo pendente catena
Materiæ eiuſdem. Rex hæc inſignia gentis
Eſſe ſuæ voluit, nec pars aduerſa minoris
Ornatum niueis gemmis geſtanit amictum
Vectus equo quiſq; eſt ferrato tegmine & auro
Conſpicuus, grata attonitæ ſpectacula plebi.
Ad ſtadium ventum eſt per vicos vrbis amœno

21. proceres. Angli laceſſunt tot quot veniũt.

Fabrorum in campo. Tum lustrant ordine longo
Tam mirmillones quam pars contraria, pulchrum
Circuitu hippodromum: sonipes ferit arduus auras,
Calcibus insultans, bullatis clarus habenis.
Præcinit inflatis clangens taratantara buccis,
Concurrunt lecti seseq; labore fatigant
Viribus immensis, iam salsus desluit imos
Ad talos sudor, veniebat anhelitus ore.
Hastæ stridentis fractæ petit æthera cuspis.
Aduersum truncus præfractus deycit hostem,
Lætitia moti cordis spectacula plaudunt.
Nox interueniens certamina capta diei
Vnius abrumpit, repetunt sua luce secunda
Ludicra, seq; suis animo maioribus æquos
Ostendunt, magnis quæsita est gloria rebus,
Tertia lux oritur, miratur concio multis
Ex populis collecta ducum præstrenua facta,
Turbine quo vibrent hastas & brachia quanta
Vi moueant, quàm sitq; animus generosus equorum
Tinnitu armorum resonabat ab ictibus æther.
Gaudia quæque dies sua decertantibus adfert:
Iamq; quater seni rigidis ludentibus hastis
Elapsi fugere dies, tempusq; monebat
Ad noua Brutigenam properare negotia Regem,
Externos Rex ob virtutem laudibus effert.
Laudatos magnis ex flauo torquibus auro
Donat, & in patrias alijs dimittit onustos
Muneribus, dominos vt turgida zona grauaret.
At mirmillones famam pro munere poscunt

Concertatores tam Angli quàm exterarum gentium proceres strenuè se gerunt.

Irus

Brutigenæ, capti ſolummodo laudis amore,
Finitaq́ ſuos pugna petiere penates.
Tunc tali affatur Richardum voce nepotem
Dux Lancaſtrenſis, Gandauo natus in vrbe.
Chare nepos patruo, flos inclyte ſtirpis auitæ,
Scis credo (generi ſi quando iniuria fiat,
Plantagenetarum) nos impatientibus ortos
Eſſe animis, belloq́ fero ius quærere noſtrum,
Maiorum fuit illa animi vis inſita ſemper
Pectoribus, pigeat cur me ſimilem eſſe meorum?
Rex venerande tuo multos pax alma per annos
Iam regno viguit, nemo inſidiarier hoſtis,
Aut audet tecum duro contendere bello.
Cum conſanguineus tuus ipſe, & regia proles
Interea thalami ſociam regionis Iberæ,
Et patris hæredem fraudari diuite regno
Per vim contemplor, quod ei dant publica iura.
Ergo pace tua liceat mihi cogere paucos
Militiam in longinquam, & quæ ſunt cõiugis, armis
Quærere iuſtitiamq́ tremendo Marte tueri.
Talia dicentem ſermone accepit amico
Richardus patruum, dein circumſtantibus inſit
Nobilibus. Laudo ingenium generoſius iſtud
Ipſe tuum, noſtris nuſquam maioribus impar.
Ito bonis auibus celebratas gurgite Ibero
Ad terras: & quæ dos eſt vxoria iure
Quod gentes lato firmant communiter omnes,
Si non Hiſpani reddant, celer arripe bello.
Fraudari hæredes diuina humanaq́ iuſtos

Dux Lancaſtrius petit à Rege ueniam inuadendi Hiſpanos.

Reſponſio Regis.

Lex prohibet, Deus auxilium melioribus adfert.
His Lancastrensem dictis dimittit, at ille
Ocyus instructa pro bello classe futuro,
Impressio facta in Hispaniam per ducem Lancastrensem. *Milite stipatus generoso traijcit æquor*
Fluctisonum, cum vxore pia natisq; duabus.
Causæ diffidens extemplo Hispanus, agebat
De pace acceptis & conditionibus offert
Argenti ac auri plaustrorum protinus octo
Iustum onus, argentique decem soluenda quotannis
Millia nummorum, pulchra Bayonis in arce,
Quæ fuit Anglorum tunc sub ditione monarchæ.
Hispanus agit de pace. *Anglus at Hispano contra, quæ maxima natu,*
Dat nuptum gnatam, sic vt coalesceret arcto
Pacis conditiones inter Ducem & Hispanũ. *Fœdere firmata fœlix concordia pacis.*
Rex Lusitanus (nam sic ea pacta ferebant)
Filia ducis natu maxima nubit Hispano. *Accipit vxorem pompa fulgente secundam*
Filiolam, mox his (cœli duce numine) gestis,
Antiquas generis repetunt ab origine sedes,
Oceano magno per sidera fausta remenso:
Dux sociique sui terram tetigêre Britannam.
Insolens prouocatio trium Scotorũ aduersus Anglos. *Paulo post regis permissu Marleus intrat*
Ille comes Scotia per iter ventosus equestre
Anglorum fines, Londini & prouocat omnes
Cuspide acuta hastæ secum certamen inire.
Conueniunt proceres, Princeps Richardus adesse
Spectator cupit hic, cupit atque ignobile vulgus.
Scoti in Hippomachia sternuntur. *Non tulit has bullas heros Moubræus inanes:*
Sed conscendit equum calatis pulcher in armis,
Sessoremq; Scotum validus deiecit, equumq;

Sternit

Sternit humi duro ferrati verbere ligni:
Quo viso resonant crebro spectacula plausu.
Exanimis fractis costis iacet ille duabus,
Nec valet erectus trepidis insistere plantis,
Vicinas magis inde loco portatur in ades.
Postquè dies paucos crescente dolore laborans
Emoritur: sic quem armorum quæsiuit honorem
Perdidit infœlix, minor & certamine cessit.
Darellus Scotus hac Courtnæum prouocat Anglum
Finita pugna, popularem captat & auram:
Viribus ast impar fortunam expertus eandem est.
Tertius huic socius dum colluctatur arena
Haud ita fortis eques semel & quater ictibus ille
Sternitur horrisonis, victum & certasse pudebat
Cocburnum, patrias petit ergo inglorius oras.
Concertatores Haubercus corpore pollens,
Pectore Courtnæus, pulsatis vindice dextra
Externis, homines Anglos qui corde superbo
Sponte lacessissent summo afficiuntur honore.
Compositis post ista domi certamina rebus,
Pergit ad indomitos princeps Richardus Hibernos Hibernia subacta per Richardum.
Inque potestatem multo sine sanguine, sæuo
Marte reluctantes redigit. Tum post breue tempus
Exuit insigni sese diademate, sceptrum
Henrico Lancastrensi regale relinquens.

Excipit Henricus quartus moderamina plebis Henricus quartus regnare incipit.
Anglorum, cuius patuit satis inclyta virtus
Cum pater Hispanum pro vxoris dote premebat.
Cum pater & Gnatus paucis comitantibus Anglis

A Gesso-

Henricus & eius pater Iohannes à Caleto per mediam Galliam cũ paruis copijs ad Burdegalem peruenerũt.

A Geſſoriaco procedens littore venit
Gaſconiam ferroq; hoſtes vexaret, & igne.
Multa viri virtus igitur celebriſq; per orbem
Gentis honos cunctis pauidum incuſſere timorem
Hoſtibus Anglorum, ne quis fera bella mouere
Exterus auderet, iuueniſq; interfuit iſtis
Omnibus, in cuius iam ceſſerat integra partem
Gloria geſtarum rerum belli q; domiq;.
Præter opes magnas fuit hic rex deniq; fœlix
Progenie pulchra, namque inclyta quatuor illi
Indolis eximiæ natos produxerat vxor
Quorum procero, qui natu maximus hæres
Corpore, progreſſus cùm pubertatis ad annos
Eſſet, res geſſit multas iuueniliter audax
Aſciſcens comites quos par ſibi iunxerat ætas.
Nil tamen iniuſtè commiſit, nil tamen vnquam
Extra virtutis normam, ſapientibus æque
Ac alijs charus, ſed in hoc eluxit imago
Pubere, quæ deinceps eſſet geſturus adultus.
Henricus genitor bis ſeptem rexerat annos
Anglorum gentem ſumma cum laude & amore:
Iamq; ſeneſcenti fatalis terminus æui
Ingruerat, morbus fatalem accerſerat horam:
Arripit extemplò ſoboles diadema paternum,
Quem flexo proceres regem venerantur ouantes
Poplite, teſtanturq; hilari ſua gaudia geſtu.
Ille inter iuuenes, paulò laſciuior ante
Defuncto genitore grauis conſtanſq; repentè
Moribus ablegat corruptis regis ab aula

Henrico patri mortuo ſuccedit Henricus quintus.

Henricus initio regni

Aſſue-

Assuetos socios, & nugatoribus acrem
Pœnam (si quisquam sua tecta reuiserit,) addit.
Atq; ita mutatus facit omnia principe digna,
Ingenio magno post consultoribus vsus.
Perraro cessat vigilans in publica regni
Commoda, ceu pastor totas insomnis ouili
Prospiciens noctes hiberno sidere ducit.
Dumq; sagax expiscatur possessio quænam
Iusta sibi fuerit, quænè essent iuris auorum:
Comperit infesto Francorum pectore Regem
Plurima Brutigenæ rectori damna dedisse,
Nec mora, consilium vocat, exponit q; gerendum,
Quæ queat ad bellum pia causa mouere britannos.
Assensere omnes proceres, regniq; dynastæ,
Sæuo quærendum ferro ius Regis ab hoste.
Confestim rebus repetendis trans mare mittit
Legatos satrapas exculta mente, senili
Consilio, Gallo referant qui talia Regi.
Brutigenum regni hæc animo fert rector iniquo
Te violasse fidem: Cur sic alienæ rapaci
Attrahis ipse manu? cur sic iniurius Anglis,
Sæuus in absentes? Semper presentibus Anglis
Si bellum intulerint (liceat mihi vera fateri)
Ex istis causa minor, inuitusq; quod æquum est
Concedis: raptum nobis aut redde Britannis,
Aut ferrum expectes, vltrices insuper ignes.
Quæ blando extorquere à te sermone nequimus,
Mars dabit indomitus, tenet hæc fiducia nostrum
Henricum, quòd erit sceleris Deus vltor iniqui.

Dicere

lásciuos suos comites oblegat ab aula regia.

Henricus studet in reipub. commoda.

Legati ab Henrico missi in Gal liam de rebus repetendis.

Oratio Legati regis Anglorum.

Dicere Rex iubet ista, minas regaliter addit
Maturè ni mente velis respiscere cautus
Mutatu in melius: fallax est alea Martis.
Hæc vbi verba Britũno à principe missus habebat
Legatus, Gallus capit ferne scere bile.
Gallorum fremitu præcelsa palatia Regis
Complentur, gliscunt animi discordibus iris.
Rex coram cunctis ora indignantia soluit.

Responsio Regis Francorum.

Quarere regna, labor: virtus est parta tueri
Maxima, si celebrem famam laudemq; meretur,
Qui Marte aduerso victor fortassis iniquo
Euasit, populum seruilia sub iuga mittens:
Nonne prius victis (animos si quando resumunt)
Gloria maior erit pedibus pepulisse catênas,
Excussisse iugum collo, vim viqué repulsam
Propulsasse? alia est alia fœlicior hora.
Non semper fortuna manet constantior vni.
Nunc fortis Gallus primas tenet, antè Britannus
Partes, nos olim fuimus (vos dicite) Troes,
Post decimum tãdem Tros annum sensit Achiuos.
Gallia iam primum post multas cœpit aristas
Florere, & duce me cristas attollere in altum,
Aduersusqué suos hostes audentior ire.
Vos terrete minis pueros, terrete puellas
Laruis, nulla viros animosos spectra mouebunt.
Non bullæ ostenso vel verba minantia ferro.
Quid quod adhuc vester Rex est puerilibus annis,
Tristis inexpertus belli lusu ille pilarum
Se recreare domi contentus, fulgida pilis

Agmina

Agmina deuitet, regat hæc maturior ætas.
Hoc sit responsum, vos hæc mea dicta referte,
Nos patrios fines, nos nostra tuebimur armis
Oppida, & inuito hæc Gallus defenderit hoste.
Hæc vbi legatis Gallus responsa dedisset,
Confestim cæpere domum properare reuerti.
Et quid Celta illis responderat, ordine pandunt.
Scomma malam in partẽ accipiens Rex cætera risit.
Principis interea naues Hamptone parantur,
Queis per fluctiuagum pelagus fœliciter actis,
(Namque volente Deo siluit contrarius Auster)
Rexque Duceſque sui magna comitante caterua,
Hostili ante expectatum potiuntur arena.
Nauibus egressi deuastant omnia latè,
Horrea, tecta, lares fœdantes igne, ruinis,
Cæde: feris Anglis in prædam cætera cedunt.
Henricus castris noctem transegerat vnam,
Cùm sol postridiè terris dimouerat vmbras
Exoriens, oculis hominum loca quæque recludens.
Rothomagi fluuius qua cursu defluit acri
In pontum, littusque suo maris impetit æstu,
Finitimosq; suis humoribus irrigat agros,
Haud procul à castris vbi fluminis ostia pandunt
Rictu se patulo, senis vbi nocte dieq;
Accipiunt horis præsalsi gurgitis vndas,
Flumen aquas, & idẽ rursum prius euomit haustas,
Conspexere duo munitis oppida muris,
Hoc citra ripam, trans ripam fluminis illud.
Actutum Henricus populi iubet ambo coronis

Henricus transmisso mari Harfleu oppidũ obsidet.

Cin-

Cingi, ferratis percelli glandibus ambo,
Et muros duro ex ferro testudine rumpi.
In solitum genus hoc tormenti terruit omnes
Inclusos Celtas: pueri matresq́, senesq́,
Exangues trepidant, nec deuitare periclum
Quo pacto possent, inuestigare valebant.
Anglorum pendent denso ceu grando sagittæ
Aere, cominus, ac etiam res eminus acta est.
Interea ne quid Regis conatibus obstet,
Neue Britannorum queat infestare carinas,
Armatas aliquot naues, Neptunia regna
Inter vtraq́ oras, regionum littus vtrumque
Quæ citò percurrant, præmittit ad æquora princeps.
Tum socijs scalas muris adhibere paratas
Imperat, & propius belli tormenta moueri,
Quamprimum tenebris depulsis crastina lux sit.
Hoc vbi vulgatum est castris, & quæque cohortes
Expediere gradu celeri se, fama ferebat
Illud in oppidulum, quod nomine dicitur Harflu.

Duodecim oppidani ex Harflu egressi petunt à rege Henrico

Cras, sole exorto, ferro armipotente Britannum,
Mœnia cum domibus, cæsis qui tecta colebant,
Imo æquanda solo, quod erit tum parcere serum.
Ciuibus extemplò tremor ima per ossa cucurrit,
Desperare suis fortunis incola cœpit.
Quid faceret tali rerum conclusus in arcto,
Ante oculos mors certa, suo de principe nullum
Venerat auxilium, nullam sperare salutem
Concluſi poterant, placet hæc sententia cunctis,
Vt tandem explorent qua sit clementia Regis

Anglorum, si flecti animus prece mollior vlla
Fortè queat, vitam vt saltem concederet illis.
Ergo bis seni sunt ex melioribus omni
De numero lecti, custos supremus & arcis,
Portis oppidulo qui progrediuntur apertis
Nudato capite, & demisso in pectora vultu,
Incessu tremulo, residebat pallor in ore,
Quisque notam luctus pullos gestabat amictus.
Martia deducti tandem in tentoria Regis,
Henricum his orant verbis pro seqúe suisqúe,
Procumbunt & humi: senior cum supplice voce
Incipit. Aduersum te si deliquimus ô Rex,
Antè astricta fides Domino, natale solumq́,
Dum sumptis armis adducto cardine portas
Duro firmatas venienti occlusimus ære
In causa est, meritas apud omnia secula laudes
In Regem seruata fides sibi vendicat æquo
Iure, quis ob patriam mortem dubitabit adire?
Sed patriæ prodesse nihil mors nostra valebit,
Si stamus contrà, cuncti moriemur inulti,
Inq́ potestatem venient bona nostra (fatendum est)
Henrici Anglorum, atq́ ipsæ cum mœnibus arces.
Hactenus admissum si quid sit, mitte, precamur.
Auxiliare dies princeps nisi miserit intra Inducìæ factæ octo dierum.
Octo præsidium (causam non dicimus) intret,
Possideas, habeas, fatis potiare secundis
Oppidulo nostro (tantummodo quæso paciſci
De vita liceat) decet hæc clementia Regem.
Hæc animos olim virtus ornabat auorum,

Quod petit hic Gallus pro votis auferet, inquit
Henricus Celtas ista sub lege remittens
Ad sedes proprias: dicto pro tempore factæ
Inducia fuerant: elapsis octo diebus
Nil opis, auxilij nihil est: promissa petuntur
Deditio oppidi & arcis Harfluensis.
Reddi: tum flentes tenera cum prole parentes,
Virgineusq; chorus, veteres liquêre penates.
Tum populus cunctus de portis Gallicus exit
Mœstus, inarmatus, vacuus, miser, æger, inopsqué,
Vtq; nouas sedes quærat, migrare coactus.
Oppidulo belli potiuntur iure Britanni.
Angli commigrant ad incolendum Harfleum relicto solo natali.
Mox iussu Regis proclamat præco per vrbes
Albionis, si quisquam Harfleu velit esse colonus,
Trans mare, mechanicas seu sit qui exerceat artes,
Acquirendarum vel opum mercator auarus,
Seu qui tellurem curuo proscindat aratro,
Harflu conueniant. Vbi sedes certa morandi
Henrico gratis dabitur donante petenti.
Nec solum ille, datis gaudebit at ædibus hæres.
Haud mora, conuenere greges ad littora passim
Quærentes ventos celeri cum puppe secundos.
Proximus & quà sit traiectus Gallia ad oras,
Quanta aderat paucis (res mira est) turba diebus,
Iam nullus vacuo locus est habitatior Harflu.
Henricus certior factus magnũ Gallorum exercitum aduentare.
Præsidio imposito Rex castra mouere Britannus
Cæpit ad illius cùm venit nuntius aures,
Præclusum ruptis iter eius pontibus esse,
Gallorum centum & viginti millia præstò
Aduentare, omnes loricis corpora tectos,

Orna-

Ornatos nitidis galearum in vertice plumis:
Turbam equitum quantam ſæclo nemo ante priore
Viderat, indomitam ſpacioſa per arua volantem.
Plantageneta nihil motus tanto agmine, cœptum
Pergit iter, ſociiſq; animum fidentior addit,
Semper in aduerſos hoſtes veſtigia tendens.
Et quòd nox propior terris induceret vmbras,
Haud procul à denſis poſuit tentoria ſiluis.
Deinde ſuos ſatrapas iubet auguſtale ſubire, Sub noctem rex Henricus in ijt cõſilium cum ſuis.
Conſultaturum ſe de præſente periclo.
Nam ter mille illinc aberat vix paſſibus hoſtis.
Seram ſub noctem ſic in penetrale vocati
Quæ ſtatuunt fieri, decernunt ſingula ſummo
Conſilio, aſt alias inter res ſole cadente,
Militibus iuſſum eſt præacutas cædere luco
Enſe ſudes, quarum prudens rex edocet vſum, Stratagema.
His vt currentes equites tellure refixis
Exciperent, & equo medijs dare vulnera poſſent
Curſibus, occultas aciei texerit ordo
Anterior fraudes, dolus eſt cùm tendis in hoſtem
(Si bello diro decernas) maxima virtus.
Interea à cælo nox intempeſta ruebat,
Corpora mortales recreant cum feſſa ſopore
Curarum obliti, vt vegeti ad ſua munia ſurgant.
Nocte illa ſomnis oculos clauſere grauatos
Anglorum pauci: ſinuoſis arcubus aptat
Pars amenta ſuis, acuit pars ſpicula dura
Cote ſagittarum, penetrent quæ fortiùs arma.
Iſte creatori cæli cum coniuge natos

Commendat, tanquam moriturus luce futura:
Ille ſuos nummos exponit, mortuus orco
Mane recepturus Gallorum more vetuſto.
Fulgens incautis aurora ſuperuenit Anglis. (mum
Arma arma Angligenæ (ferit hæc vox æthera ſum-
Ductores clamant, capitote arma, arma precamur.
Tela tenete manu, totis iam viribus arcus
Tendite, ſeruetur, pugnando debitus ordo.
En dicto citius iunctæ inceſſere phalanges,
Expectant q̃ animis ſæuum feruentibus hoſtem:
Pungit equum ſubitò curſor calcaribus vnus
Qui noctu terras hoſtiles peruigil errans
Luſtraſſet, ſæuos Gallos & clamat adeſſe.
Ceu bruma media picea caligine ſpiſſus
Auſter cum pluuijs, ſiue vt nimboſus Orion
Excelſos montes aſpectu territat atro
Cum procul eſt, propior magno furit impete ventus:
Atrox ſic properat Celtarum exercitus orto
Sole per intentos ſignis fulgentibus agros.
Calce cava tellus pulſata tremebat equorum
Agmine denſato, volitat q̃ ad ſidera puluis,
Mouerat hunc equitũ q̃ cohors, peditumq̃ caterua.
Aurora hac complexus erat ſolito arctior artus
Henrici ſomnus, ſecuro ita corde quieſcit.
Tandem vnus comitum magni tentoria Regis
Ingreſſus, molli è ſomno tactu excitat illum,
Et Gallos intra paſſus bis mille meantes
Eſſe docet. populiſq̃ ſuis inſtare periclum.
Ergo quid ducibus mandet, narrare precatur.

Mane orto acies Anglorum inſtituitur.

Rex

Rex vt erat totus discinctus amabile corpus
Corripit è stratis, nixus genibusq; precatur.
Summe deus faueas: te supplex inuoco, quæso:
Da Deus omnipotens, da vires maxime magnas,
In te fixa mihi spes est, ne desere seruum.
Hostis equis, nos summe Deus tibi fidimus vni.
Si princeps hodie fuero in certamine victor
Numinis insignes laudes in sæcula cuncta
Æde canet senior tum vir, tum fœmina sacra.
Hac prece finita, struere imperat agmina princeps
Ocyus indutus vestitu, indutus & armis
Exilit, & mediis incessu vadit ouante
Ordinibus, socios, quæ sit fiducia rebus
Scitatur: lato respondent plurima vultu.
Dux Eboracensis tum se inclinauit honoris
Caussa: me complura mouent, vt tester amorem
Officiumq; meum Rex ter venerande Britannis.
Primum in te patriamq; meam, concede quod opto,
Belli inter primos, aciei & in ordine primo
Vt locer, occumbens pariam memorabile nomen.
Aut nisi me vanum mentis deceperit omen:
Infestos gladio cædam crudeliter hostes,
Gloria præclarum factum hoc æterna sequetur.
Desiit ille loqui, tum Plantageneta leuauit
Ipsum, fidenter verbis affatus amicis:
Tu consanguineus cum sit charissimus id quo
Gratius esse nihil poterit gratissimus offers:
Ingentes & ago grato pro pectore grates:
Nobilitatis opus petis, hoc concedo quod optas.

Henricus surgens è lecto orauit Deum.

Petit dux Eboracensis vt ducat primos aciei ordines.

Fortibus assumptis socijs accingere gnauus
Confestim ad pugnam violento cum hoste futuram,
Et meritas laudes pugnando viriliter aufer.
Nec mora, dirigitur pharetrati militis ordo,
Ipsorum inquè duas pars maior spargitur alas.
Horrida belligeræ quæ portant pila phalanges.
Vexillum Regis circumstant densius armis.
Comes Suffolciæ dextrum, comes Varuicensis læuum aciei tutatur cornu.
Inde comes clarum cui dat Suffolcia nomen,
Dextrum ductabat cornu, læuumq; tuetur
Hinc Varuicensis, veteri stipatus vterque
Milite, qui manibus curuaret Apollinis arcum.
Turma equitum leuis hastatorum cornua firmat,
Atq; in subsidijs, quos bellica acuta securis
Muniuit, positi, magno veluti osse gigantes
Audaces aciem claudebant vndiq; totam.
Hæc manus Anglorum, facies erat agminis ista
Instructa iam acie, quota (Rex ait) hora diei est?
Qua solet in templis numen sacer ordo precari
Respondent satrapæ, turrita per oppida regni
Rex Anglus hortatur suos ante pugnam vt strenuè se gerant.
Albionis: tum Rex animis estote Britanni
Fortibus, hac hora pro nobis presbyter orat,
Ergo agite ô iuuenes, facite vt virilibus ausis,
Vestrorum vt similes hodie euadatis auorum,
Quorum non solùm manibus propulsa, sed ipso
Gallica gens vultu prius expauefacta, fugata est.
Omnis abesto timor, mors formidabilis haud est
Ingenuis, si non hodiè deuicero Gallos,
Vltimus ex nostro reddetur anhelitus ore:
Pro me captiuo redimendo nemo tributum

Soluet

Soluet, nec precium diues regio Anglia pendet.
Dixerat, idem animus cunctis: exercitus alto
Clamore ingeminans omnes promittit ad vnum
Ferro absumendos, si fors contraria vertat.
Interim in aduersos cæpit procedere Celtas
Tota manus, signoque dato vexilla leuare.
Ecce tubæ diri cecinerunt horrida Martis
Terribiles sonitus irritamenta futuræ
Cædis, funestaq; acies vtrinq; propinquant:
Miles atrox varijs implet clamoribus auras:
Iamq; aberant, arcu quantum valet ire sagitta
Missa viri fortis manibus: dux mittite (clamat)
Angligenæ, vestros calamos celereq; sagittas,
Mittite curuatis in atroces arcubus hostes.
Grandinis in morem cum hibernus decidit imber,
Spiculæ missa volant, & clari lumen ademptum
Obscurant solis: percusso saucius armo
Se erigit excusso sessore arrectus in auras
Acer equus. Credens equitatus tutius esse
In pedites nostros protensis si inuolet hastis,
Ocyus irrumpens præpilati agminis hirtam
Aggreditur frontem: Tum pugna recruduit ingens,
Confixi fudibus præacutis (principis ante
Sicut erat monitu præceptum) puluere arenæ
Prouoluuntur equi, vitam sessoribus enses
Stricti adimunt. Pharetris vbi defecere sagittæ,
Arquites sternunt aduersos fustibus hostes.
Ipse manu magno conatu rex rotat ensem,
Nobilior faciebat idem pars, turbaq; tota:

Conflictus Anglorum & Francorũ qui fit apud Dagincourtum: Anno 1415.

Omne nemus resonat pulsatæ cassidis ictu
Armorum crebris tinnitibus insonat vnda,
Viciniq; suis colles cum vallibus agros
Accipiunt gemitus morientum, sanguis inundat
Seu cum terra madet quando Saturnus & illo
Iupiter inferior, Mars, Sol radians, Venus, Hermes,
Luna tenet Cancrum, Pisces & Scorpion vdum.
Tempora transfixus prælongo Barrius heros
Pilo deturbatur equo, cui spiritus ager
Vulnere mortifero in tenues euanuit aura.
Aliquot nobiles Gallorum in prælio cadunt.
Dux Alansonius percussus arundine lignum
Carne reuellebat, ferrum tamen osse reliquit
Altius infixum, mors immedicabile vulnus
Insequitur, labens & equo terram ore momordit
Expirans, similiq; perit (Brabantia) letho
Dux tuus. Hi fuerant equitatus ordine primo
Magnanimi satrapæ: post hos cecidere secundo
Nauarræ Comes & tuus Archiepiscopus (ô Sans)
Præterea comites octo periere cruentis
Vulneribus, trita appellant quos voce Barones
Plus centum, clari generis plus mille cadêbant
Sexcenti. Notiq; decem plus millia vulgi
Ex Francorum acie, ter centum perdidit Anglus.
Et penes Henricum belli victoria mansit.
Heu Eboracensis funesta sternitur hasta,
Impetus in primos vbi fit furiosior Anglus,
Suffolcusq; Comes compluribus ante necatis
Gallorum ex satrapis vitam cum sanguine fudit.
Captiuos proceres Gallos custodia firmat.

His

His ita perfectis, ditato milite prædis
Et spolys, clarus victor post prælia Iuius,
Ad Gessoriacum properat cum classe, penates
Transmisso pelago veterum q3 palatia regum
Albionis repetit, turba comitante triumphans
Cui Londinenses ciues, & prætor, amicti
Velleribus Serum splendentibus, obuiam ierunt
Mille ter extra vrbem passus, hoc fecit honoris,
Hoc causa officij fecit quisque ordine ciuis,
Vt sua significet superato gaudia Franco:
Vrbe etiam egressus templi sacer ordo relictis,
Per vicos precibus diuinum numen adorat.
Voce precabatur multam resonante salutem,
Publica turba suo regi: pompam q3 sequuntur
Ordine captiui longo victoris ad ædes
Principis, hospitijs Galli tractantur amœnis
Comiter, Henrico sic præcipiente monarcha.
Ecce Sigismundus conscensa naue Britannûm
Ingreditur fines, quem rex humaniter Anglus
Excepit veterem gratissimus hospes amicum.
Nunc celeres agitant ceruos damasq3 fugaces:
Nunc iuuat aucupium pandis haliætus & alis
Infestans volucres penna trepidante minores.
Anglo cum vacua facta est occasio mentis
Induperator ait, celebri rex inclyte fama,
Quæ tua gesta vehit totum pennata per orbem:
Victis iam satis est bellorum, parce, precamur:
Iam per te satis est inimici sanguinis haustum:
Immodico, cur te, ciuesq3 labore fatigas?

Henrico reducí ciues Londinenses congratulantur.

Sigismundus imperator venit in Angliam & agit cum Henrico vt pax tandem coeat inter illum & Francorum Regem.

Quid

Quid petis vlterius? decorat victoria pugnæ
Nuper in omne foris parte memorabilis ævum.
Pax tibi sit cordi, pacem cole, nil dedit alma
Pace deus melius, miseris mortalibus vnquam.
Carolus hanc orat, legatus & illius vnâ
Mecum, qui presens vestra versatur in aula.
Leges pacificæ, sublata lite, ferantur.
Auferet Henricus Gallo cedente, quod æquum est.
Paruos infantes patribus quin aspicis orbos,
Quantáq; flet matrum charis viduata maritis
Turba? Deo Domino nos factos esse memento.
Ista Sigismundi paulum persuasio mentem
Flexerat Henrici, incerto qui fluctuat anceps
Pectore, quid faciat, natura mitior hêros.
Atq; procul dubio sereno valuisset amici,
Si non Francorum legato orante, quod egit
Voce Sigismundus, subito venisset ab Harflu
Nuntius infaustum rursum instaurare duellum
Gallos, & diram cædem factam esse recentem
Anglorum, patratum id Rothomagensibus agris.
Galli violant fœdus. *Vritur Henricus populorum cæde suorum*
Audita, & motus vehementi excanduit ira
Quos paucos subito numerosus fuderat hostis
Caroli & occludit de pace agitantibus aurem
Legatis, referens, sectabitur vltio factum.
Induperatorem puduit pro gente rebelli
Quòd supplex blanda prece sollicitasset amicum:
Qui vario (vt mos est) donatus munere regum
Iam decessurus Sanctam cum Rege Britanno

Firmat

Firmat amicitiam, patrias ventoq́ secundo
Per freta delatus ſaluus peruenit ad oras.
Extemplo rauco ſtridebant cornua cantu,
Efferaq́ ardeſcens flammato corde iuuentus
Vndiq́ concurrit: iuſſu quiſq́ induit arma
Principis, & tumidum conſcenſis puppibus æquor
Tranſnittunt. Patulis Normania fertilis aruis
Excipit expoſitas ſaxoſo littore turmas.
Principio Henricus recreato milite Teucham
Oppugnat, magno conamine Celta reſiſtit,
Strenuus aſſultus propellens enſe feroces:
Armis capta tamen domino parere potenti
Cogitur, hoſpitio recipitq́ inuita Britannos.
Inde petit Cadomum, quod non ſine ſanguine cepit
Hoſtis & Angligenum, virtus ſed vera domari
Neſcit: & in primo congreſſu fundit inertes.
Vi depugnatum eſt nuſquam maiore locorum,
Quã Cadomi, vrbs tendẽ cum magna deditur arce.
Ædibus vt ſacris, ſic illic pepercit aſylis.
Quod poſtquam pauidus cognouerat incola terræ,
Sanctam iuſtitiam tanto miratus in hoſte
Religione ſacras quanta ſeruauerit ædes,
Se fidei regis committunt fœmina, virq́
Normanus, ſatus & portant in caſtra ciborum
Militibus, corbes completas pane ferentes
Hinc Alenconium expugnat victricibus armis
Poſt Argentonium, portas Conſtantia pulcra
Vltro aperit, Landum, & Faleſia plebe referta,
A Gallo auxilium fruſtra expectantia capta

Rex Anglus inſtaurat bellum.

Henricus capit multa munitiſſima oppida in Normania.

Inque

Inq́ potestatem venerunt principis ambo
Angligenæ : Sequanæ ripis contermina Larcha
Proxima turrigeris muris est prædo Britannis.
Præterea multi vulgato nomine pagi.
Vltima Rothomagus restat, qua mercibus auro,
Argento, vasis pretiosis diues abundat,
Totius & caput est terræ Normanicæ in ima
Parte alti montis Sequanæ prope fluminis vndam.
Audito aduentus Anglı rumore coloni
Finitimi, villas & proxima rura tenentes,
Huc comportarunt sibi quæ charissima possent,
Posse capı nullis credentes viribus vrbem.
Rothomagus vrbs obsessa.
Rothomagum ductis fossis atq́ aggere claudens
Circundat valida rex obsidione Britannus.
Saxa rotans celsasq́ reuellens machina turres
Ferrea testudo solertı opponitur arte,
Diruat vt muros præfixis cornibus altos.
Aulerici contra summis de mœnibus acres
Conficiunt pugnas, ac aspera saxa deorsum
Prouoluunt, teretes torquentes eminus hastas.
Magnis res animis agitur tantisper vtrinque
Lintribus armatis, donec supera, infera, Princepe
Obstruit, occlusi, quis labitur, amnis in vrbem,
Auxilij ne quid sit, ne quæ cibaria possent
Inferrı obsessis. Tota grassatur in vrbe
Tum demum vesana fames penuria victus.
Opprimit Aulericos imbelles ergo puellos
Et turbam magnam muliebrem extrudere portis
Conantur: frustra prohibent mucronibus Angli

Id fieri

Id fieri, menſes aliquot durauerat acris
Obſidio, ciues cum deſperatio cæpit.
Rothomagus capitur. Iãq; Anglus adeptus opimas
Prædas in patriam perpulchra trophæa remittit.
Fama vrbis captæ vulgata (haud crederet vllus)
Brutigenis clari quantum ſuccreuit honoris
Vndiq; quanta omnes Celtas formido premebat.
Paulo ante intrepidus, iam Celta petebat, iniquis
Legibus attribui pacem, fera prælia tandem
Extinctis bellis remoueri, acceſſit ad iſta
Tunc mala Celtarum, Burgũdio fraude peremptus,
Sparſaq; ciuilis tota diſſenſio terra.
Quãdo ad colloquiũ ventũ eſt, rex Gallus & omnes
Vnanimes proceres Henricum conſtituerunt
Rectorem patriæ, Catharinaq; nobilis Anglo
Vt deſponſetur Francorum principis hæres.
Ex his coniugibus prognata propago duobus
Terras Gallorum pulchras moderetur & vrbes.
Sic fore conceptis iurabat Carolus, vxor,
Turbaq; nobilium, verbis, quos Gallia multos
Indigenas habuit, iurabat mobile vulgus.
At dedit Henricus pacem, mox regia virgo
Ducitur in pompa vinclo connexa iugali.
Brutigenæ multis epulum ſolenne diebus
Concelebrauerunt, matri, ſolatia ſponſa,
Præbenteſq; patri. Fœlicem prole parentem
Tali plebs dicit, per quam tot commoda regnis
Pax adeo fœlix populis donata duobus.
Plantageneta dabat princeps iam iura duabus

Rothomagus capta.

Rex Henricus conſtituitur regẽs Galliarum.

Henricus ducit in matrimonium Catharinã Caroli filiã & hæredem.

Gen-

Gentibus, effrænes ductis cohibebat habenis.
Cùm memor Angligenũ, cupiensq; ostendere quales
Anglia, quam claras arcesq; vrbesq; teneret,
Decernit reditum in patriam, picta ambo carina
Henricus & Catharina vxor veniũt in Angliam. *Ad Londinensem veniunt fœliciter vrbem*
Ore verecundo noua nupta, eiusq; maritus.
Hic circum vecta aurato per compita curru
Catharina Regina more maiorum coronatur Londini. *More coronatur maiorum Regia coniux*
Ingeminãs, Rex ô viuat Reginaq; vulgus,
Altisonis suprema ferit clamoribus astra.
Non ita post multò, cùm iam respublica rectè
Composita auxilij vlterius nullius egeret,
Rebus Rex (vt erat prudens) accommodat horas,
Absentem si fortè grauis desiderat æuo
Rex socer, Axonum visit trans æquora fines.
Reditus Henrici in Galliam. *Quo cùm venisset, clarus Burgundio narrat*
Hostem Delphinum trepidos mouisse tumultus,
Moliriq́: Dolos. Quare præmittit in hostem
Henricus turmas, eius quæ frangere possent
Assultus: sed adhuc maiora negotia curæ
Esse sibi: Nihili Delphini pendere vires,
Vt qui nil præsente viriliter egerit hoste,
A sæuis biduiqué iter Anglis semper abesset.
Hoc agitur primum vt res frumentaria totis
H. Rex facit Delphino potestatẽ pugnæ quã recusit. *Suppetat in castris. Post omnibus ære paratis,*
In syluaneeto Delphino facta potestas
Pugnæ, quam timidus campo non accipit æquo
Oblatam, numero & neruosis viribus impar.
Quas igitur pugnax ad terras venerat Anglus.

Has

Has odit cautus iuuenis, cane peius & angue:
Has refugit, socioſqúe loca in contraria vertit,
Si modo Bituriges animoſior Anglus adiſſet:
Biturigum terris multùm properando relictis,
Conenſes Gallus fugiens inuaſerat agros.
Obſidit hic populum quem Celtæ liberat armis
Dux Bedfordenſis, Delphini milite pulſo.
Interea fractumqúe æſtu nimioqué labore
Corripit Henricum languentem febris acuta. Febris corripit Henricum.
Cæli intemperies, Sextili Syrius ardens
Virus peſtiferi facit ingrandeſcere morbi:
Attamen egit iter miris cruciatibus Anglus
Afflictus, donec corpus tabeſcere morbo
Cæperat, atque faces mortis ſentire propinquæ.
Aduolat Humfredus frater, Bedfordius heros
Aduolat effuſis lachrymis defleuit vterque
Caſum inopinatum. Rex deinde Brittannicus inſit.
In cælum manibus ſublatis, debeo multum
O Deus omnipotens, dignas perſoluere grates
Non valeo, viridis tenero quòd flore iuuentæ
Abſtrahor à mundo, nec adhuc expertus amaram
Fortunam: quod in hac vita præclarius actum eſt
Nobiſcum, ſummi clementia numinis eſto.
Ad fratres conuerſus ait cur pectore mœſto Henricus agens animã commendat filiũ infantẽ & Catharinã Reginam ſuis fratribus.
Sic gemitis, cur ſic pleni ſingultibus eſtis?
Fatalem veniſſe diem mortemqúe propinquam
Gaudeo: quod nemo poterit vitare, ferendam.
Per ſacrum obteſtor fraterni fœdus amoris,
Filiolum Henricum, curetis, alatis, ametis,

Semper

Semper honoretis, diuino ante omnia cultu
Mentem informetis pueri: sic dignus haberi
Imperio tanto, famaq́ vigêre valebit.
Vxorem magno prognatam principe prolem,
Quæ merito nunc est ærumnosissima matrum,
Sustentate piis (decet hæc præstare Britannos)
Officijs, vobis & sit concordia cordi.
Dux Bedfordensis, dux & Burgundio Francos,
Anglos Humphredus simili sub iure gubernet.
Curatum enixè iubeo hoc fieri, impero, mando,
Olim terra fuit Normania iuris auorum,
Quam ferro amissam dextraque potente recepi,
Hanc retinete armis, iusto hanc defendite bello.

Henricus 5. moritur.

Henrici illustris properans mors occupat artus,
Ille suæ patriæ decus immortale per æuum
Venturum, virtutis & indelebile lumen
Celso animo prorsus, leni quoque pectore ciues
Non solum, at iustos hostes fideiqúe probata
Dilexit, niueo raro iracundior ore.

Henricus 6. eius filus de more coronatur Parisijs.

Æternæ famæ paulo post Rege sepulto
Parisijs Diadema, vias & compita circum,
Iunior Henricus portat lepidissimus infans:
Nunquam perpetuò fortuna manebit amica
Quæ circumacta suo versatilis orbe rotatur.
Hic Franci puerum Regem neglectui habentes
Descisscunt, violatq́ fidem gens perfida sacro
Consilio ante datam, quos Dux Bedfordius vltor
Perdomat, & facta Delphinum cæde fugauit,
Rex studuit paci, postquam maturuit annis,

Tri-

Triſtia ſanguinei deuitans prælia campi:
Se non immiſcens vnquam ciuilibus vndis
Captabat placidæ ſecurior ocia mentis.
In prece multus erat, ſecreto crebrius orans.
Sed tales homines populus ſceleratior odit,
Faſtidit, deteſtatur: non conuenit inter
Virtutem & vitium, lucem fugêre tenebræ.
Mite ergo ingenium poſtquam videre Britanni
Delphinus Comiteſq; eius fera prælia tentant. Galli deficiunt ab Henrico ſexto.
Fraude domi capiunt alias, virtute receptæ
Sunt vrbes aliæ quædam, ſublapſa refertur
Anglûm ſpes retrò, langueſcere pectora dicas:
Quippe erat Henricus quintus, dux ſtrenuus olim
Mortuus: hinc damni grauior cauſa atq; doloris.
Seditio rapidis accenſa domeſtica flammis
De ſumma rerum, contentio perdita flagrat.
Muſa ſile aut muſſans bella inteſtina Britannûm Diſcordia ciuilis in Anglia.
Lugubri percurre ſono, quia vulnera tactu
Sæua recrudeſcunt, veterem renouant q; dolorem.
Henrici oblitis nulli Normania curæ
Brutigenis, ſolitis propugnatoribus orba
Incaſſum magni Guilielmi funera deflet,
Præreptas iuſtis vi poſſeſſoribus vrbes.
Delphinus totos nullo prohibente per agros
Francorum tranſit, priùs expugnata receptans
Oppida: perfacile eſt populum domuiſſe volentem
Tendentemq; manus vltrò, nec clarior ornat
Gloria vincentem fuſo ſine ſanguine regna.
Tanta domi ſubitò dum ſunt incendia rerum,

Externos Anglus quo pacto inuaderet hostes?
Ipse sibi est hostis, lacerat manus improba ventrẽ.
Quid quòd pes summum rabida caput atterit ira,
Et ciuis ciues scelerata mente trucidat,
Seruus herum, dominus seruũ, Mars impius ardet.
Heu frater fratrem facto certamine mactat,
Vicinus vita vicinum priuat: ab hoste
Nil vsquam tutum est, frustra peteretur asylum,
Quod miseris omni prodest mortalibus æuo.

Loca in quibus bella maxima inteſtina confecta ſunt. Wakefeldia.

Nobilitata inter plures hæc sunt loca cæde,
Albani fanum, Blorum, Borealis & Ampton
Banbrecum campis, Barnettum collibus hærens,
**Experrectorum pagus, fanumq́ secundò*
Albani, propior Scoticis confinibus Exam,
Contiguoq́ istis habitantes rure coloni,
Mœrentes hodiè, quoties proscindit arator
Arua propinqua locis dentale reuellere terra
Semisepulta virûm sulcis Cerealibus ossa:
Mœsto execrantur planctu ciuile duellum,
Quo periere hominum plus centum millia cæsa,
Nobile Todcastrum clades accepta coëgit
Millibus enectis ter denis nomen habere.
Vltima postremæ locus est Teuxburia pugnæ,
Oppidulis his accedens certissima testis,
Bello intestino fluuios fluxisse cruoris.

Factio inter Eduardũ 4. & Henricũ ſextum reges.

Tot peperit tam dira duorum factio Regum
Prælia, quam litem magnus Deus ipse diremit,
Bosworthi bellum gestum & nonnulla tacebo,
Septimus Henricus quibus est sibi nomen adeptus

Præclarum

Præclarum celebris ventura in ſæcula famæ.
Filiolam Eduardi ducit Lancaſtrius heros,
Et ſumma rerum potitur, ſic iura volebant,
Sic leges regni & proceres petiere Britanni.
Hoc Deus omnipotens pacis confecerat author,
Ciuiliſq́ habuit talem contentio finem.
Ciuibus ille ſuis regnat chariſſimus, hoſtes
Omnes iure ipſum metuebant: numinis almi
Religioſus erat cultor, pietatis, & æqui.
Verſutos hominesq́ malos vehementiùs odit
Viginti totos charus treſqué amplius annos.
Regibus externis in ſummo vixit honore,
Magnanimus, iuſtus Rex, prudens, atque modeſtus.
Henrico hæredi moriens ſua regna reliquit
Diuitiáſque, immenſum argenti pondus & auri.

Henricus ſeptimus ex familia Lancaſtrenſi ſolus relictus ducit in matrimonium Elizabethā Eduardi quarti Regis filiam.

Ciuilis ſeditio extinguitur.

Henricus ſeptimus poſt annos viginti tres ſumma cum gloria excedit è vita.

Finis Libri primi. F.ij.

Henricus octauus.

Hic erat à teneris annis ars bellica cordi.
Vt reliquas dotes, condignas principe tanto,
Corporis atq; animi non sit memorare necesse.
Quod fortis, clemens, humeris quod & altior ibat
Omnibus, egregia facie vultuq; decoro.
Quarta à principio regni flauescere messis
Caperat, æstiuo terras torrente calore,
Cum rex Anglorum Henricus fera bella ciebat,
Atroces Gallos & aperto marte lacessit.
Sollicitarat enim Romanus Episcopus illum
Ad bellum hoc pelago transmissa classe Caletum
Peruenit, oppidulum triginta millibus implens
Armatorum hominum, delecti quattuor omni
Ductorum ex numero, Talbotus belliger, audax
Poynyngus, Ricius Thomas flos Cambrobritannûm,
Et Somersetus, quos rex præmiserat arua
Ad Morinũ: Quibus est magnis Terrouana muris
Condita, robusto Francorum milite fæta:
Vere nouo vt spirans stridenti flamine ventus
Verrit humum tenui stipulas cum puluere tollens,
Raditur vt tellus uncatis dentibus ima:
Sic equites Angli rapiunt armenta ferarum,
Captiuosq; greges hominum, pecudesq; bouesq;.
Omnia deuastant, ferro flammaq; furentes.
Subsequitur princeps ter denis millibus ære

Expeditio militum in Galliam per Henricum octauum.

Conflictis

Conflictis duro, Morinorumq; obsidet vrbem.
Sub rege Anglorum magnus meret imperator,
Germaniq; truces, duro gens strenua bello.
Pro mercede nihil nisi fulvum soluitur aurum,
Auri militibus radiantis copia totis
Tanta fuit castris, vt rex cudisse coactus
Nummum ex argento fuerit. Pugnantibus ampla
Munera dant animos, merces accendit ad arma.
Francorum pugnax equitatus prælia miscet,
Succurrunt q; suis, sed frustra infirmior arma
Turba capit. palmam bellando potentior Anglus
Aufert, lethifera transfossis hostibus hasta.
Diruta turrifragis bombardis mœnia præbent
Brutigenæ ingressum facilem, Gallisq; timorem
Injciunt: Tandem Terrouana deditur Anglo,
Oppiduli capti regem decorante trophæo
Præualidi regis magna virtutis in armis
Fama per adiunctas terras pennata vagatur.
Quod postquam fieri Tornaci vrbs clara videbat,
Ingemit, Henrico pactum persoluit & aurum,
Angligenas passis intra sua mœnia portis
Sponte intromittens: dominorum serua nouorum:
Accipit ecce nouas Henrico principe leges.
Interea Scotiæ Iacobus regna gubernans
Firmandæ pacis causa dum Gallica bella
Gesta forent, sacram qui sumpserat antè synaxim,
Quiq́ue sacramenti se vinclo astrinxerat vlrò
Obseruaturum quicquid promisit amico,
Finibus Anglorum grassantes intulit ignes.

Henricus octauus obsidet Terrouanam & capit vtrunque oppidũ. Imperator Maximilianus militat in castris Henrici 8.

Tornacenses deditione facta soluunt Henrico decem millia coronatorũ.

Dum ageret Henricus octauus in Gallijs Iacobus Scotiæ fecit incursionẽ in Anglia ac

Armatorum hominum decies ſex millia ducens
Vaſtat, & abſentis domini crudeliter agros.
Limitis Angligenûm Borealis Surreus Heros
Aſſignatus erat cuſtos, qui milite lecto
Cautus in auxilium præclaro ſtemmate cretos,
Scroupum, Stanleium, Latimerum alioſq́ ciebat.
Dacrus adeſt, pictus etiam Cliffordius armis:
Bulmer, Butlerus, pelagi præfectus Houardus,
Edmunduſq́ illi ſocius, celebratus eodem
Stemmate tentauit primus certamen inire,
Nigris loricis ambo ſalſugine ponti.
Vertice Floddonis montis conſederat hoſtis:
Cumq́ propinquantes vidiſſet in ordine belli
Erectis ſignis fidentius ire Britannos,
Deſcendebat equo, ſiue hunc ſtimulauit inanis
Gloria, ſeu feruens (quæ non bene conſulit) ira
Ductabatq́ aciem primam, mox fertur in Anglos:
Suſtinet inflictos duris vmbonibus ictus,
Imbuit & gladios manante cruore Britannus.

Iacobus violatæ fidei pœnas dat in pugnam enim prope montem Floddonem cum multis Scotorum millibus interficitur.

Iam tres integras pugnatum eſt cominus horas:
Vulneribus Scotus acceptis cadit enſe duobus,
Perfidiæ meritas fuſo dans ſanguine pœnas.
Pars fugit in patriam, pars altera caſa Scotorũ eſt.
Ex gente Henricus rex victor vtraq́ redibat
Inde domum, multos poſt hæc fœliciter annos
Hoſtibus his domitis tranquilla pace quieuit.

Anno. 1543. Legatus Scotorum venit in Angliam.

Facta eſt Angligenûm borealı iniuria genti,
**De qua ſe purgans legatio miſſa Scotorum eſt.*
Crimine purgato rurſum in ſua regna receſſit.

Hinc

Hinc Scotus, hinc Anglus vario ſermone fremebãt,
Lis etenim fuerat de finibus inter vtrunq́,
Murmur erat populis malè conueniſſe duobus.
Vix ter creſcendo reparauerat aurea Phœbe
Cornua, & in ſolidum ſeſe contraxerat orbem:
Quando magna manus pilis armata Scotorum,
Altera pars pedites, equites pars altera, in armis,
Irrumpens cœlo pluuioſo menſe Nouembri,
Vulcanum noſtris ferrumq́ nocentius infert.
Vrbs eſt Carleolum circundata mœnibus altis,
Finibus occiduis ſita, quæ ſine collibus ampla
Planitie cùm ſit, proſpectat longius arua,
Ex qua deducit præfectus Regius vrbe
Viciniſq́ locis quibus induit Cumbria nomen,
Bis mille Angligenûm fulgenti ex ære cateruas:
Magnanimus quas in campum Whartonus apertũ Incurſio hoſtilis Scotorum haud procul à Carleolo.
Ducit continuoq́ fit impetus acer in hoſtes.
At illis trepidum gelida formidine pectus
Obſtupuit primo congreſſu (numinis almi
Auxilio) victi ſtrua ſternuntur arena.
Pars fugit in ſyluas, conſtructaq́ rupibus antra, Iacobus rex Scotorum torrentem tranans (vt aiunt) ſubmergitur.
Pars fugit in denſas creſcentes montibus ornos,
Ipſe quidem Scotiæ rex qui ſub colle latebat
Territus euentu ſociorum & cæde cruenta,
Altarum rapidum flumen tranabat aquarum,
Flumen inundarat prælargis imbribus auctum:
Vitam igitur merſus rapidis amiſit in vndis.
Bello captorum extra cæſos atq́ fugatos,
Ordinis obſcuri ac illuſtris maxima turba,

Quos vrbs Carleolum defessos nocte sequenti
Accipit hospitio, & mœstos custodia seruat:
Plebeios vincto retinebant crure catenæ.
Paulo post pacto populares ære redempti,
Victorem & victum vt conuenerat inter vtrosque,
Principes viri Scotorum capti. *Ad proprios læti properant remeare penates.*
Sed pars nobilior satraparum stemmate creta,
Londini celebrem celeri mittuntur ad arcem
Cursu, qua tristes inclusi degere primam
Coguntur noctem, spe libertatis adempta.
Postera nocturnas iam lux dimouerat vmbras,
Cũ pius Henricus miserorũ haud immemor vnquã,
Clementia Henrici Regis. *Humanis secum de rebus multa volutans,*
Mandat, captiuos indutos vestibus albis,
(Quas dedit ex bysso princeps regalia dona)
Ad se per mediam deduci comiter vrbem.
Tum de ingrato animo gentis perpauca loquutus,
De solita potiusué innata fraude Scotorum
Increpuit, placido clemens tamen omnia vultu
Protulit, vt soliti sunt castigare parentes,
Dum proprio obiurgant genitam de corpore prolem.
Captiui contra verbis compluribus vsi,
Plurima pro patria, pro se, pro principe dicunt
Defuncto, pariter poscentes supplice voce
Dere dicturis faciles vt præbeat aures.
Oratio captiuorum Scotorum coram Henrico rege. *Annuit Henricus, tum facta silentia tectis,*
Maximus & natu ex captiuis talia fatur.
O princeps inter reliquos clarissime Reges
Europæ, cuius cum primis bellica virtus

Exupe-

Exuperat, victi victorum agnoscimus æqua
Mente nec à tali victos vnquam esse pudebit.
Quis pudor à magno sterni panthera leone?
Quod si quid grauius statuas meruisse fatemur:
Facta tibi nostræ vitæq; necisq; potestas.
Mors captiuorum in tanto nil laudis habebit
Principe, nil lucri miles tuus vt perimamur
Inde reportabit, lactentes respice natos,
Consortésque tori, lachrymis quæ funera desient
Structa maritorum, tanquam sint morte perempti.
Gloria maior erit nos dimisisse nocentes,
(Si tamen ille nocens, peragit qui iussa magistri)
Quàm crudeli hostes morti bis mille dedisse.
Sed rem ipsam oramus perpendito lancibus æquis
Inclyte Rex, regni fines intrauimus huius,
Intulimusque tuis sæuos hostiliter ignes.
Nonne sua pœnas nostrates morte lueruni?
Vescitur ætherea haud noster rex amplius aura,
Aduersum Martem, vitam lucémque perosus.
Forsitan hoc fatum, aut potius Deus ipse volebat
Sic fieri, cuius dependent omnia nùtu,
Scilicet vt clemens duo consociaret amore
Regna, duos populos animis discordibus antè
Redderet vnanimes, æterno fœdere iunctos.
Nunc oblata rei bene tenditur ansa gerendæ,
Quam Rex arripias, & gentem vtramque beabis.
Masculus exiſtit tibi solus & vnicus hæres,
Extincto nostri regni rectore, puella
Nuper natu capit manibus virgunculæ sceptrum.

Quod fuerint coniuncti vinculo ambo iugali,
Sublato ob talem bellorum semine causam:
Perpetua exultans regio vtraq; pace fruetur.
Quid vetat hoc fieri, si suffrageris, & illud
Esse ratum iubeas, quod poscimus atq; precamur?
Finierat, cium quod dixit pleno ore probabant
Vtraq; pars, opus esse Dei concorde ferentes
Voce, duo tali si nexu regna coirent.
Rex pro præsenti respondet tempore pauca,
Dimissos iubet at tractari lautius, ædes
Munificentia Henrici in Scotos.
Cuilibet ipsorum tribui concedit in vsum:
Et sumptum, vestes, argentum donat & aurum.
Præterea ex auro captiuos torquibus ornat.
Venantur timidas iuga per declinia damas,
Tensaq; veloces agitant in retia ceruos.
Sed sibi blanda modum statuit quandoq; voluptas,
Et nihil ex omni quod suaue est parte placebit.
Gratior agricolis gustu perdice bouilla,
Et præ delitijs caro salsa suilla probatur:
Frigida sic nostris præponunt rura Scotorum,
Quanquam cuncta placent, inuitiq; omnia laudant.
Tantus amor patriæ mortalia pectora tangit,
Natalisq; soli, præ quo bona cætera sordent.
Ergo reuisendi sua tecta cupidine capti,
Tandem exorata venia, dum maxima regi
Promittunt Anglo, facturos sese vt in vnum
Regna duo coëant, & equis donauit & auro
Cessuros, læto vultu super omnia gratis
Corpora dimisit captiua Britannicus Heros.

Summo

Summo cum applauſu redeuntes accipit aula
Reginæ merſo ſoluentis iuſta marito.
Hos proceres prĩceps reduces quid agatur ab Anglis
Clara rogat: vafri primo celare benignum.
Henrici erga illos animum, laudare monarcham
Parcius Anglorum cæperunt, deinde dolentem
Hortantur viduam nuptum ne collocet Anglo
Filiolam, quiuis potius gener aduena ſiat.
In ſua regna vocet Gallos, genteſqúe remotas,
Pacem commutet bello tentantibus vltro
Fortunam quam quæ dederit meliora daturam.
Has partes Scotiæ proceres, aſſenſibus implent:
Finitimiſqúe locis confeſtim prælia tentant,
Iam Scotus Henrici iuſtam irritauerat iram
Fœdifragus, bellumqúe ingens tuba clara ſonabat.
Conueniunt proceres ſolenni more vocati,
Indignum facinus clamant vno ore peractum,
Vindice ferro opus eſſe, opus eſſe & vindice flamma:
Quiſque ſuam promittit opem, mora longior æquo
Viſa omnis, quid quod vitam impendiſſe iuuabit?
Vt ſceleris populus queat eſſe Britannicus vltor
Lecti Ductores, Comes Hertfordenſis auunclus
Eduardi, Regis gnati, Dudleius heros
Quem rex Henricus claſſi præfecerat, ambo
Ingeniis animiſqꝫ pares, ſed diſpare neruis
Corpore, nam magnis pollebat viribus alter,
Iracundus, atrox minus acer & horridus alter.
Paucis ad littus veniunt hoſtile diebus
Puppibus aduecti, vento aſpirante ſecundo.

Scoti dehortantur viduã reginam ne collocet nuptũ Anglo filiolam ſuam.

Eduardus comes Hertfordenſis.

Iohannes Dudleius præfectus claſsis regiæ

Nec

Nec mora, deſiliunt armato milite ſepti
In terram, nautis pugnam inceptantibus acrem:
Hac fugiunt illacque inimici, tecta domorum
Quas vetus aut ceſpes, canna aut texere paluſtres
Vulcano iniecto flammis crepitantibus ardent.

Lithe & Edenburgum flammis corripiuntur.

Feruentes Lithe prolapſa cadebat in ignes,
Et regio ſumat circum vicina cremata.
Fœminei ſexus gemitus ad ſidera grandi
Tolluntur ſtrepitu, puerorum clamor in auras.
Nil niſi triſte fuit, faciesque miſerrima rerum.
Poſt ad Edenburgum noſtrates caſtra mouebant,
Hic pugna exoritur magnis clamoribus ingens.
Firmarant ſummo clauſas conamine portas,
Sulphureo poſitis tormentis puluere plenis
Hinc Scotus aduerſus telis, hinc ſternitur Anglus,
Percuſſi hi gladio, aſt illi periere ſagittis,
Fraxinea obſtantes multos tranſuerberat haſta
Eminus emiſſa, complures glande cadebant.
Pars tandem Anglorum munitam inuaſerat vrbem
Iactantes rapidus ſumma ad faſtigia flammas.
Ecce Scoti fugiunt, Anglis tormenta relinquunt:
Exhorrent, vt damacanes, vt cerua leones.
Reſtabant muri è ſaxo, parieſque domorum,
Cætera candenti fuerant conſumpta fauilla.
Manſit Edenburgi tamen inutolabile caſtrum
Antiquum ac ingens præduris cautibus horrens,
Confidens adeo flagranſque cupidine fama,
Dicere vt auderet ſuum inexpugnabile robur.
Sed docet euentus quæ vera aut vana ferantur.

Regis

Regis tale aliquid minimè mandata ſinebant
Moliri in preſens: exercitus Anglicus ergo
In patriam ad ſocios fama præeunte Britannos
Puppibus auehitur, magno clamore tubarum,
Nauibus in ſolita rurſum ſtatione relictis.
Poſtquam curuatas firmauerat anchora proras,
Heros ingreditur Regis Dudleius aulam.
Summa vbi lætitia porrectis ordine dextris,
Excipitur, procerum dicit recipitque ſalutem,
Ante omnes princeps Henricus laudibus effert
Præfectum maris, inuictam cum corpore mentem
Prædicat illius verbis, & præmia iungit.
Signa peragrarat rapidus vix omnia Phœbus,
Anglis bellorum cum Gallia porrigit anſam,
Cuius Rex nuper cum diris fœdera Turcis
Iunxerat, heu nimium res eſt indigna relatu
Chriſticolam facere hoc qui religionis amantem
Se profitens titulum pietatis venditat orbi.
Hunc igitur bello totus Rex inclytus armis
Intentus, ſatrapis & ſuffragante ſenatu,
Arma parat prudens, aſſuetaque corpora longæ
Militiæ, fortes animos ad prælia promptus
Pectore fidenti cunctos educit ad arma.
Adſunt & proceres & adeſt ignobile vulgus,
Imprimis princeps is quo Suffolcia gaudet,
Vectus equo inſigni, Tyrio reſplenduit oſtro,
Auratam portans galeam, criſtamque comantem.
Et quo lætatur Norfolcia diues ouilis
Velleris, exultans aderat, dux promus in iram,

Apparatus belli aduerſum Frãcos.

Dux Suffolciæ, Dux Norfolcię Comes Arundellius Pauletus, Ruſſellus, aſcripti in hanc militiam.

Aſt

Ast animo infracto prorsus nec marte domandus.
Integris iuuenis comes Arundellius annis,
Pauletus cui res est frumentaria cura,
Russellus quos terra ferax Deuonia stanni
Gignit, ad hoc bellum pollentes robore duxit.
Wallia non paucos, paucos & Hibernia misit,
Nec mortem stricto metuentes ense nec hostes,
Et pede pernici manibusq; & corde valentes.
Pars regni Borealis equis lectissima pubes
Contecti tunicis ex duro corpora ferro,
Alitibus cursus equitando volantibus æquant.
Antonius Brounus quo non præstantior alter,
Corpora si spectes hominum, nec fortior armis
Præscribente lubens equitatum Rege gubernat.
Ex tota Anglorum confluxerat vndiq; gente (rum
Multa manus iuuenũ, numerusq; haud paruus equo
Cornea quadrupedum pingues quatit vngula cãpos,
Hastatiq; equites procurrere longius audent.
Iamq; instructa acies procedens agmine longo,
Aërium varijs cœlum clamoribus implet.
Armato montes & valles milite tanquam
Vel niue vel summo de cœlorore cadente
Respersos licuit vidisse strepentibus armis.
Quorum sub radijs Phœbi perstrinxit ocellos
Fulgor, vt intuitum Titania lumina tollunt.
Discolor arte noua lanæ præmollis amictus
Tinctus, discretas potuit monstrare phalanges.
Byssina quæque suam præcedunt signa cohortem,
Agnoscit Ducloris ouans insignia miles.

Antonius Brounus magister equitum.

Quales

Quales ſe attollunt ſuper omnia gramina flores
Vere nouo, nitidis gratumq; coloribus addunt
Aſpectum, ſi quis lætos inuiſerit agros:
Talis erat noſter totis exercitus aruis
Progrediens picto indutus ſaga byſſina limbo,
Splendorem ſolis rapidum referentibus armis.
Rex capite Henricus reliquos ſupereminet omnes,
Heros præualidus, ſeu fortia brachia ſpectes, Rex Henricus octauus
Seu ſuras quas fuluo opifex incluſerat auro,
Siue virile ducis præſtanti pectore corpus,
Nulla vi domitum, nullo penetrabile ferro.
Arma illum meliore ex ære polita tuentur,
Arma ea iuraſſes Veneris fabricaſſe maritum,
Mulciberiq́ue Dei vaſto Cyclopas in antro.
Nam montes illic opifex celarat & amnes
Hàc ordo lucos, ex illa parte ſalingas,
Præterea Thameſin qui rectà tendit in æquor.
Eurus ab aurora qua flans ſua flamina profert
Sabrinum, & Trentam, demiſſo gurgite riuos
Oceanus quorum defeſſas accipit vndas,
In ſumma nitidi thoracis margine Regum
Inciſæ effigies, & origo ſtirpis auitæ:
Plantageneta ſuum ſolium Rex quartus habebat
Eduardus, ſextique Henrici ſtabat imago,
Haud procul hinc ambo maternus auuſq; paternus.
Septimus adiuncta cum coniuge ſede locatur
Henricus, meritus Salomonis nomen habere,
Et quod erat prudens, & quod pius, vtraq; virtus
Heroi iuſto famam eſt paritura perennem.

Caſſis

Cassis habet gnatum puerum inuenilibus annis,
Quem fera mors terris inuidit sceptra tenentem.
Virgo vna, atq; alia, at diuersa matre creatæ
Hæredes regni (sic lex & iura volebant)
In galea sculptæ solium regale tenebant.
Spicula curuato seu rex emiserat arcu
Acclamant omnes illum hoc certamine primum.
Siue leuem adductis contorsit viribus hastam,
Illi cessisset rursum, si viueret, Hector
Hosti congressus districto cominus ense
Fulminis in morem similis vibrabat Achilli.
Deniq; qualis erat princeps, exercitus omnis
Esse cupit talis, stimulus præacutus honoris
Extimulat magna ad res virtute gerendas.
Mollem vel crassam discernit fimbria vestem:
Miles erit fortis qui sub duce militat acri.
Arma super, vestis gemmis præluxit ab Indis
Allatis, viriáiq; oculos hebetante smaragdo.
Annexi fuerant, adamas, saphirus, iaspes.
Balteus ex auro, capulus fuit aureus, vmbo
Aureus, aut si quid fuluo pretiosius auro,
Denique vel pulchræ phaleræ, bullataq; frena
Artem ostentabant, & sumptum principe dignum.
Non hominem tali plebs rustica retur amictu,
Crederet esse Deum. Summus Deus ipse monarcha,
Terrenos celebri vult esse in honore monarchas,
Vt Salomona pium fulsisse decore videmus.
Iam mare, quod tumidis angustum interluit vndis,
Littus vtrunque cito zephiro aspirante secundo

Tran-

Transierant Angli, Gessoriacoque potiti
Rex sociisque cibis recreabant corpora lassa,
Inducit tandem fessis nox atra soporem.
Maxima pars vigilat, cura haud sinit esse quietos,
Qua parua aut nulla est, cupidis mora lõga videtur.
Cum primum Titan ab aquis emersit Eois,
Terribilis tuba dat sonitum, quisque arma capessit,
Atque gradum faciunt Gallorum Regis in oras.
Igniferi currus vergentia lumina versus
Est locus amplus apud Gallos Artesia dicta,
Pascendo pecori facundo fertilis agro
Arboribusq; status, quas Danoruoia gignit. Bolonia obsessa.
Hic sita conspicitur nitidis Bollonia tectis,
Littore structa maris, quam murus saxeus ambit,
Hostibus inuictis inuicta prioribus annis.
Occipiunt fortes hanc oppugnare Britanni,
Hanc circumuallant egestóque aggere cingunt.
Egressus spes nulla patet remanentibus intus,
Proximus inuigilat muris Dudleius heros,
Nautarum, veniens pelago, comitãte caterua (dax,
Nautæ, hominũ genus impauidũ, temerariũ, & au-
Quos mare fluctiuagum vehementi turbine motum
Quando vadis tremulas syrtes euerrit ab imis,
Nonnunquam gelida pauidos formidine reddit.
Non quicquid terrere potest per saxa, per ignes.
Per mare per terras, non vlla pericula terrent.
Istis præfectus pelagi gaudebat alumnis,
Seque putat rursum tali duce nauta beatum.
Sic similis similem cupidis amplectitur vlnis,

Scilicet, hæc hominum pars est ex quattuor vna,
A qua Bolloni metuere pericula cines,
Carolus ex alia Brandonus parte minatur,
Obsessoque loco requiem negat omnibus horis.
Haud procul hinc nostri sita sunt tentoria Regis,
Vnde solent celeres missæ volitare sagittæ.
Sæuaque magnificis misceri incendia tectis.
Nemo inimicorum pauidos attollit ocellos.
Nil est intra vrbem totam nisi pallidus horror.
Tandem proijciunt è mœnibus ignea tela
Obsessi Galli, & propulsant fortiter ictus
Anglorum, nostros vrgent q; virilibus ausis.
Pugna recrudescit, metus hinc, hinc gloria fortes
Reddit, iactando certatim missile ferrum.
Confossi sæuo moriuntur vulnere multi,
Pars perit ex illis maior: qui celsa tuentur
Mœnia, corporibus mutilis referuntur in ades:
Ille iacet penè exanimis, pede claudicat alter,
Dispersa cerebro, faciei nulla figura
Alterius, saxi iactu perrumpitur alter.
Prisca oppugnandis in fortibus vrbibus ætas,
Vsa manu ex ligno facta testudine fertur,
Aut aries ferro solidissima cornua gestans,
Ex muro prensos lapides quasi dente reuulsit:
Nil habet hæc nostro q; agat modò machina sæclo,
Inuenere nouas artes ad bella minores.
Tormenti genus est ex ferro aut ære coactum,
Quod Franciscanus frater reperisse refertur,
Vt capias paucis validissima castra diebus,

Qua

Quæ vix cepisses armis toto prius anno.
Sulphureus puluis primò vt caua compleat æris,
Atque modum iustum tormenti ponderis æquet,
Sit minor an maior de pondere, regula monstrat.
Ex saxo aut ferro si post imponere glandem
Contiguam sataga per perpendicula vibrans:
Credere quis vellet nisi id experientia firmet,
Ventosa vi glans admoto protinus igne
Excutitur, metamq; volando per æthera tangit,
Effringens rigidis obstantia mœnia saxis.
Nil valet aduersum missæ se opponere glandi,
Nam quæ stare potest, quantumuis ferrea moles?
His circumseptum tormentis verbera glandis
Oppidulum patitur sonitu circumsonat aura,
In cœlum assurgunt spissa fuligine nubes,
Terra & tecta tremunt: quasi turbinis ipsa furẽtis,
Impulsu fundamentis quaterentur ab imis,
Ingeminant nostri magnis clamoribus ictus,
Cum subito fecit muri pars lapsa ruinam:
Quam cœlũ, & pelagus tonat ipsaq; castra fragore
Nautarum Dux exemplo statione relicta,
Augustale subit, supplex vbi poplite flexo
Postulat, vt liceat primo sibi scandere muros,
Militibusq; suis vt nemo ex omnibus istã
Præripiat laudem quamuis laus iuncta periclo
Esset præsenti, potior quia gloria vita
Et mutanda foret muralis morte corona.
Per se perqué suos modo sit victoria parta
Mille vices adeat mortem, si forte renasci

Iohannes Dudleius Regem flexis genibus rogat vt primus cum suis nautis muros Bolo niæ scandat.

Mille vices posset. Voto Rex optimus agrè
Assensit (tanto est illum complexus amore)
Posterus vtque dies optata det, annuit illi.
Ille agit Henrico grates quasi nactus opimum
Thesaurum voti compos: cum coniuge gnatos
Commendat Regi, mox ad sua castra reuertit.
Proxima nox cupido sibi visa est longior æquo,
Mens agilis somnum somno irrepente repellit.
Ante ortam lucem famulis de more vocatis,
Præcipit armari corpus leuioribus armis,
Inde animo secum tacitus complura volutans,
Expectat primum venturi luminis ortum,
Conuenit minimo nautarum concio iussu,
Tanquam inuitati lautis ad prandia mensis.

Oratio Dudlei ad nautas.

Tum coram cunctis Dudleus ora resoluit:
Qui nullum facinus tota memorabile vita
Ediderint, inuicta cohors, migrare videntur
Hinc, vt qui structa nil dixerit histrio scena:
Nascimur vt patriam vitaq́ operaq́ iuuemus.
Aut quid in hoc mundo ignauos vixisse iuuabit?
Terra suos amplo profert cum fœnore fructus,
Tempore poma ferax præscripto parturit arbos,
Malus mala parit, producit cornaq́ cornus,
Hæc prosunt Dominis, prosunt q́ colentibus agros.
Enumerare queo nil quod sit inutile, quod non
Fœtificans affert alieno commoda ventri:
Acceptam patria vitam nos ferre fatendum est,
Et non pro patria nos vitam impendere iustum est?
Quid vita hæc hominis, placidus nisi sõnus inertis?

Actio

Actio virtutis laus est certissima, cumq;
Non simplex vigeat virtus loca prima tenebit
Belligerans causas ob iustas arma capessens.
Absumpti longis animam cruciatibus edunt
Languentes morbis: in bello pulchra paratur
Mors, homo momento pugnans extinguitur horæ.
Euolat in tenues lætus cito spiritus auras,
Subdimur Henrico nos, & nostra omnia regi,
Numinis imperio diuini. Iussa tonantis,
Si voluere Dei præsenti obtrudere morti,
Si nos vult, alacri parendum est mente iubenti.
Quanto est nobilius gratum præstare volentes,
Officium potius, quam rege iubente coactos?
Gloria victores me, vos, æterna sequetur,
Veram non pariunt nisi summa pericula laudem:
Nunc audite precor quorsum hæc oratio tendat.
Hostem inuadendum censet sacer esse senatus,
Appositis longis, scandendaque mœnia scalis,
Hæc delegatur precibus prouincia fusis,
Grata mihi vestrum si quilibet arripit omen,
Euentum, me scite ducem promittere faustum.
Desijt ille loqui, scalas vno ore reposcunt
Nautæ, vix alacres à muris pœna coercet:
Tantus amor laudis, tantaq; cupidine flagrant.
Sed pius Henricus non tanti mœnibus vrbes
Æstimat inclusas, vt certa cæde suorum
Fortia lucretur cum totis oppida regnis,
Dudleium iubet ergo suis desistere cœptis.
Pauci intercessere dies, Bollonia supplex

Bolonia deditione facta.

ceſsit in poteſtatem Regis Angliæ.

Armis depoſitis Henrico porrigit herbam.
Commigrant aliò Galli portaſq́ recludunt,
Intromittentes galeis fulgentibus Anglos.
Sex hinc exierant Gallorum millia gentis:
Mœnia cum domibus cũ turribus occupat Anglus,
Munitæq́ nouis ſtabant cuſtodibus arces,
Diſpoſitus princeps certa ſtatione cateruis
Oppidulo nuper deuicto præficit illum

Iohannes Dudleius præpoſitus Boloniæ.

Magnanimum, fuerat cui claſſis Regia curæ,
Rex conſtipatus magnatibus æquora rurſum
Traijcit, ad proprias rediens feliciter oras.
Dudleius vigili commiſſum munus adornat
Cura, ſollicito percurrens pectore cuncta,
Conſiliumq́ ſuis prudens hoſtile retardat
Conſilijs, interdumq́ inimicos opprimit æſtu
Incautos Gallos, nunc marte laceſſit aperto,
Captiuos faciens complures: enſe trucidat
Penè infinitos, præclarè plurima luce
Quaq́ gerit, latè quibus increbreſcere nomen
Dudlei cœpit, fieri eius gloria maior
Francorum terris, Henrico & gratior eſſe.
Terué quaterué ſuo coniunxerat aurea Phœbe
Se fratri, reuocat q́ repentè Britannicus heros
Ad tractanda ſui graniora negotia regni
Præfectum pelagi: redeunti nobilis ordo
Gratatur reduci, gratatur & Anglica pubes.
Poſt menſes aliquot volitat prænuntia fama,
Gallos ornaniſſe ſuas cum remige claſſes,
Scilicet in noſtras vt ab ijs impreſſio terras

Galli cõtrahunt maximam classẽ & inuadunt insulam Vectem.

Hostilis fieret, defendere quisq; parabat.
Tenduntur facula piceæ per littora ponti,
E quibus accensis certissima signa darentur,
Si quando terras nostras inuaderet hostis,
Et combusturus vicos è puppibus iret.
Sol curru rapido percurrerat ora Leonis,
Gallica cum pleno perflantur carbasa vento.
Pontus iam non pontus erat, si è rupibus altis
Demissas casu quis prospexisset in vndas.
Vel nemus vmbrosum, vel silua frequentibus ornis
Esse videbatur, vel consitus arbore campus.
Circumclausa mari salso iacet insula Vectis:
Anglorum littus quà pulsat fluctibus auster,
Hunc longas inimica cohors vertêre carinas.
Figitur à summis curuatilis anchora proris,
Dantequé nauclero sua signa celeusmate claro,
Desilit in fluuam vt quisque est animosus arenã.
Vnius ecce domus congestum cespite culmen,
Arsit, & agrestes habitantes Vecte coloni.
Prosiliunt, sæuos inquẽ hostes tela retorquent.
Vtq; fera catulis quæ construxere cubile
Insidiatores venientes vnguibus arcent,
Inque fugã vertunt, tanta est audacia matrum,
Ore canes oblatrantes ne cominus ausint
Congredi, & inuisas generi spoliare latebras:
Sic sese & sobolem charam, cum vxore mariti
Defendunt, Gallis ne præda voracibus essent.
Acrius insistunt telis, Gallosq; repellunt
Cultores Vectis: retro fugisse videres

Francos, inquè fuga resupino corpore sterni.
Elapsi cursu, naues pars cætera scandit.
Forte per id tempus naues statione propinqua
Regales hæbuit, quæ Portusmutha vocatur:
Istinc sex denæ soluentes omine fausto,
Ter centum contra ratibus noua bella minantur,
Effulgent enses, tormentis emicat ignis,
Milite vim Gallis facturo transtra replentur,
Omne simul cœlum resonat clangore tubarum.
Illa cæruleum fluxisset luce cruentum,
Et mare mouisset rubicundo è gurgite fluctus,
Si non fortuito ratis eminus vna perisset
Ex nostris: nauem hanc nautarum incuria mersit.
Diffidens subito virtuti Celta suorum,
Si pugnam facerent naualem littore nostro:
In patriam retrò profugis dat vela carinis.
Sic Galli in magnum cesserunt dedecus ausa,
Sic rebus repetant infectis sæpius Anglos.
At classem Henrici melior fortuna sequente
Anno, flaminibus Boreæ deduxit in altum.
Quam prius acceptis monitis à principe toto
Quæ facienda forent cursu, Dudleius Heros
Dirigit in terras inimicas: nauta Britannus
Littoris hostilis fraudisq; locique peritus,
E ratibus paruas demisit in æquora cymbas.
His vecti ad terram remo impellente per vndam
Infestis signis omni, lectissima pubes
Nautarum ex numero, Treporten passibus æquis
Ordine seruato (qui mos est militis) intrant:

Franci nullum memorabile facinus patrantes in patriã reuertuntur Portusmutha.

Treporte oppidum Galliæ mari.

Obuius

timum à Iohanne Dudleio præfecto regiæ classis diripitur & flāmis absumitur.

Obnius vt quisque est, is stricto sternitur ense.
Ast alius volucri traiectus membra sagitta,
Occidit exanguis, fœdatqúe cruore plateas.
Dum recluſa alius vult prospectare fenestra,
Nec conferre pedem nec aperto prælia Marte
Commiscere audet, glandis transfigitur ictu.
Omne genus telorum ad eadem immittitur atram.
Winterus vix octodecim tunc integer annis,
Insignis iuuenis quo non animosior alter,
Primo congressu paucos mucrone peremit:
Præstantem q̃ Ducem Gallum dum cernit ouãtem,
Cui chlamys ex tenui byſſo quam limbus obibat
Aureus, inuadit vix sana mente tumentem:
Gallus in aduersum iaculum conterſit acutum,
Vulnera nulla ferens, dilabitur irrita cuſpis:
Tum Winterus ait: mihi nunc dabis improbe pœnas,
Primitiæ accedes nostro miser hostis honori.
Nec mora, congrediens qua cor pulmonibus hæret,
Transfodit: expirans asperſit sanguine terram
Celta, caduntq̃ alij, pars cætera segniùs vrget.
Ipſe inter primos præfectus regius omnes
Nomine compellat socios, hortatibus inflans:
Cernere erat nullum præsens vitare periclum.
Occidit ex Gallis illi qui proximus ibat,
Noxia tam certo librabat tela lacerto.
Vtq̃ iracundo cedunt armenta Leoni,
Pascua cum plenus bacchante furore peragrat
Solus cum catulis, cœlum, & rugitibus implens
Conſpicitur, poſtquam taurorum carnibus atra

Sit ſaturata fames, laſſuſq; recumbit edendo:
Tantus terror erat Gallus Dudleius Heros.
Iamq; volant rutili ad faſtigia ſumma domorum
Ignes, diffugiunt teneri pueri atq; puellæ
Qua via nulla patet. Duce præcipiente popello
Parcitur imbellis: tanta eſt clementia Regis
Anglorum, qui ſe mitem ſuper omnia præſtat,
Dux iterum oppidulo combuſto claſſe receptus,
Seq; ſuoſq; refert ad Regis tecta Britanni,
Magna viri creuit fama his ingentibus auſis:
Gratia apud dominum fuit illis maxima Regem,
Claraq; per totum celebrata eſt gloria regnum.

Henricus octauus poſt 38. annos moritur.

Henricus princeps propè luſtra peregerat octo,
Et populum magna prudens cum laude regebat,
Ex quo magna ſoli tractauit ſceptra Britanni:
Cum Deus omnipotens, morbo obrepente, moneret
Hinc emigrandum de vita. Proh dolor ingens,
Quot pia plebs lachrymis quã triſtibus ora rigauit?
Quàm grauiter regni proceres planxere cubantem?
Anglia tota iacet mœrens, lugubris, & amens.
Nil opis apportant medici, nil profuit herba,
Quæ ſolet humanis membris adferre ſalutem,
Pharmaca nil proſunt, præbetur potio fruſtrà:
Heu nulla triſtis mors eſt medicabilis arte,
Ante tamen mortem qui non adoleuerat hæres
Eduardus gnatus, ſatraparum nomina ſcribit,
Queis regni rerum certo pro tempore ſumma
Delegaretur, quorum Dudleius Heros
Enumero primus curat tumulare ſepulchro

Mag-

Magnifico lachrymans Henrici nobile corpus.
Regi per proceres iuſtis de more ſolutis,
Solenni pompa gnato pretioſa corona
Induitur. Dominum agnoſcunt verumq; fatentur
Hæredem patris ſummis conſenſibus Angli.
Protectoris habet nomen comes inclytus Hertford,
Accipit & clarum tribuente nepote Ducatum
Somerſetenſem. Semeirus, auunculus alter
Præficitur claſſi Regis Dudleius audax
Fit Varuicenſis Comes (eius prima propago
Inde orta eſt) propriæ non infima gloria gentis.
Vt quiſque eſt ditione potentior, auctus honore,
Et noua virtutis ſumens inſignia fulget
Turba noui Regis capitur celeberrima tectis,
Et foris altiſono reſonant ſpectacula plauſu.
Omnia tempus habent. Finitis ſeria ludis
Tractat honoratus ſubtriſti mente ſenatus,
De rebus regni de fortibus arcibus acre
Conſilium capiunt, de per loca certa locandis
Præſidijs, vel quod fieri queat utile plebi.
Ante alias curæ eſt regio vicina Scotorum.
Quiſq; recordatus pactum de virgine fœdus
A ſummis procerum, quos diximus ante Scotorum,
Optat coniugio duo regna coire fideli,
Æternam pacem hinc æternaq; fœdera iungi.
Quare quamprimùm declinans Virginis ora
Ingreditur Phœbus, ſtatuunt tentare cateruis
In Scotiam immiſſis, quæ ſit ſententia gentis.
Atq; Ducem, natu qui maior auunculus eſſet

Comes Hertford. creatur Dux Somerſetenſis.

Iohannes Dudleius vicecomes inſulæ creatur, Comes Varuicenſis.

Eduar-

Expeditio militum in Scotiam.

Eduardo ſociumq; aſſignauere fidelem
Varuici comitem, quos belluca gloria claros
Reddiderat, quos ob virtutem miles amabat.
Tertius his ſocius veniſti Dacre Dynaſta,
Quo duce bellari contra hoſtem Cumbria gaudet.
Cumbria ſide Dacri generoſi ſtemmatis altrix.
Indigenæ indigenas dominos plus ſemper honorant.

Somerſetus. Varuicenſis & Dacrus ducunt aciem.

Huic dant militiæ proceres ſua nomina plures,
Auratiq; equites, inter quos Grauius Heros
Ob ſummam belli cataphractis præfuit artem.
Magnaq; diuerſi contracta eſt copia vulgi.
Ante tamen Scotici quàm intrârunt limina regni,
Mittuntur ſcripti, quæ belli cauſa libelli:
Vtq; fidem præſtent blando ſermone rogantur.
Nil contracta acie facturum hoſtile Britannum,
Si modo ſeruarent noſtro promiſſa monarchæ:
Fruſtra, ſi quis non vult auſcultare, monetur.
Vtilior fruſtra narratur fabula ſurdis.
Arma Scotus poſcit, valida contendere vi vult,
Is nec habet penſi, ſit id æquum, an prorſus iniquum.
Iuſta deo commiſſa Anglorum cauſa tonanti
Audaces animos facit impauidoſq; perîcli.
Cum ſocijs igitur terras ac arua Scotorum
Ingreſſus Somerſetus, non iniecit ignes,
Non flammas, aliquo mitis non vulnere quenquam
Afficit aut damno, ſed ſumere pabula equorum
Contentus, reliquis fierent ne damna cauebat.
Nequà alia illatis creſcens iniuria damnis
Suſcitet infeſtas ad bella cruenta querelas.

Interea

Interea Comes ipse tumens Arranius ira,
Qui regni tenera sub principe flexit habenas
Donec adulta foret, decies ter mille virorum
Fulgido in indomitos armauerat ense Britannos.
Forte die eadem qua luxerat ante crnentam,
Varuicensis equo vectus fortissimus albo,
Planitie armatos inimicos prouocat ampla:
Hinc Scotus, hinc Anglus variis concursibus orbes
Conficiunt varios, protensis fortiter hastis.
Vulnifico cadit hic traiectus ad ilia ferro,
Interit ille graui transfixus cuspide pectus.
Currit equus vacuis loca per declinia sellis,
Excusso cessore: at equi lapsurus inhæsit
Tergo alius, summo tellurem vertice pulsans.
Ante alios omnes nostros audacior Anglos,
Hostes non paucos aduerso pectore fixit
Dudlæus, nigra spissa caligine nubes
Puluueris alta trahũt, velut ater vbi ingruet imber.
Tandem nostro vrgente equitatu cedere campo
Cœperunt hostes, nostri ad sua signa reuerti
Cum spoliis alacres. Iam vix pars quarta diei
Restabat, curruq; citò labente coruscus
Phœbus ad hesperium properauit vadere pontum:
En venit è castris inimicis nuncius orans,
Vt liceat perpauca Duci narrare Britanno.
Admissus pleno ducis in tentoria cœtu
Somersetensis, post quam data copia fandi,
Sic loquitur. Cur sit nostri populatio regni
Hostillis, terram in nostram quid iuris habetis?

Leue prælium inter Comitem Varuicensem & Scotos pridie quàm pugnatum est.

Arranius gubernator Scotiæ mittit nuntium ad Somersetum, & Huntlæus illum singulari certamine prouocat.

Hoccine

Hoccine finitimæ vicino limite gentis
Officium, innocuam ferro pessundare plebem?
At hinc exutis discedite protinus armis,
Aut vestro incursus præsens mox vltio fiet.
Namq; ex indigenis validis exercitus ingens
Contrahitur, vobisq; ferum denuncio bellum
Cras fore, ni vestras properè abscedatis in oras.
Hei mihi quod pugna haud cõmittitur absq; cruore:
Quam multo stabit victoria sanguine parta
Quot sæua flebunt sublatis morte maritis
Mœrentes viduæ, vacuis solaq; iacebunt
Lectis? quot patres dilecta prole perempta,
Orbati ducent misero in mœrore senectam?
Horresco referens, nec vos impunè feretis.
Ergo gubernator Scotiæ pietate paterna
In patriam motus iubet hæc sua dicta referre
Somersettensi, quoniam susceptit vterq;
Regnorum regimen, communis causa salutis
Ambos commoueat plebis: dabit ille Britannis,
Mitis adhuc pacis leges, si cedere retro
Angle velis, patriam positisq; inglorius armis
Confestim repetens, causa minor esse videri.
Ni facias, cædem duriq; extrema duelli
Expectes, tanta est nostri violentia teli.
Præterea Huntlæus Comes hoc me dicere mandat
Somersettensi, ne effusio magna cruoris
Christicolũm fiat, petit vt decernat vterq;
Ferro congrediens (pugnam pars vtraq; spectet)
Orta potest dirimi sic. controuersia paruo

San-

Sanguine, & vnius præceps contentio morte
Fracta extinguetur capto cessante duello.
Vix bene desierat, cùm Regis auunculus insit,
In vestra huc veni consultò regna, daturus,
Non accepturus pacis (refer obsecro) leges:
Tum cum tempus erat, fuit opportuna cauendi
Hora Scotis, Nunc serò doli nectuntur inanes.
Quòd Comes Huntlæus tumido me prouocat ore,
Decertaturus mecum, trux turget inani
More suo fastu. Priuatus militat hostis,
Nec gerit imperium, quod si priuatus ego essem
Ista quidem primus properanter ad arma volarē.
Excipit hîc tali Dudleius voce loquentis
Verba ducis: verbisq; Scotum grauioribus vrget.
Lubrica vestra fides facit & periuria lingua
Nos ferme inuitos Scoticos inuadere fines:
Suscitat in sceleris vindictam numinis ira
Nostrates, Deus est qui nobis capta secundat:
Nec si præfletis promissa, venimus vt hostes,
Nil nisi quod soleant fidi faciemus amici.
Sin vim contractis armis inferre paratis
(Quod fit) rem vobis cum fortibus esse scietis.
Quis ridere minas nolit bene sanus inanes?
Terreri laruis verbisue procacibus Anglos
Creditis? erratis toto cœloq; viaq;
Decepti: hæc terrent ætatem vana tenellam.
Quòd tibi iam mens est cædis præsaga futuræ,
Vaticinansq; doles tot funera mœsta tuorum,
Numen fœdi fragis iratum hoc indicat esse,

Vanicensis responsio ad nuntium.

Et dat militibus dextrum nostratibus omen.
Est exercituum solus Deus vnus & idem,
Qui dedit immanem à paruo Dauide Gigantem
Fronte repercussa, superari verbere fundæ.
Hic huius iustum ob causam certaminis author
Suscepti, nusquam deerit reuerentibus ipsum.
Verum hoc (præteream prudens vt cætera) miror
Vnde sit Huntlæi Comitis fiducia tanta,
Quòd tanquam maior legem melioribus offert,
Cum sit honore gradúq; minor? cur prouocet illum,
Ipse Comes, Regi qui dux & auunculus Anglo
Existat? tumet ista suo sed natio fastu.
Quare si pugnæ nouus hunc incesserit ardor,
Ista isti Huntlæo quamprimùm verba referto:
Sum Comes in patria, Comitiq; æqualis honore
Vestratis gentis Varuicum gloria nostra:
Fama per Europam cuius celebrata vagatur.
Fac decorent arces posita sub montibus eius
Nomen, & à clara genus ortum stirpe vetustum,
Ordine si spectetur honos comprendimur vno.

Varuicensis Comes Comiti Arranio offert monomachiam.

Mane suo terras cùm primùm lumine Titan
Sparserit, Huntlæum Comitem expectabo superbũ
Solus congrediar soli, vel inermis inermi:
Si negat hoc, licet incedat melioribus armis,
Vel pedibus, vel equo: venienti occurrere certũ est.
Occurram nudus nudo, nisi lintea forsan
Corpora velarint, vt amat natura decorum.
Angligenæ deni denos certando lacessent,
Viceniùe Scotos vicenos, si modo vultis:

Am-

Aut ero cum ſolo ſolus pugnare paratus
Noſtra ferat primas regio, ſi vicero, partes:
Sin minus, inuerſa decedent ſorte phalanges
Anglorum in patriam: mea mors aut illius, omne
Diſſidium tollat, regnis pacemq; duobus
Apportet, pulchrum petere eſt per vulnera mortem.
Hanc Comes oblatam bellandi Huntleius anſam
Si volet accipiat, cras me fore dicito præſtò.
Hæc memorans, fului magnam vim protrahit auri,
Legeq; dat certa vt Domino ſua dicta reportet
Nuntius Huntlæo: verbis ſimul inſuper addit,
Si Comes annuerit, volet & certamine mecum
Conſeruiſſe manum quamprimum craſtina lux ſit:
Abſq; mora hoc referēs huc quæſo hac nocte recurras
Acceptumq; auri quod habes duplicauero munus.
His dictis vno conſenſerat ore ſenatus.
Spargitur in vulgus quo pacto prouocat audax
Sponte Comes Comitem Dudlæus, gaudia totis
Caſtris magna ſonant, animos ſumuntq; Britanni,
Magnanimumq; acies Dudlæum laudibus effert.
Veſper in occiduo fulgenti littore flamma
Emicuit, crebris noſtratia caſtra micabant
Ignibus, emiſſi curſores ad ſpeculandum
Innumeros referunt armis fulgentibus are,
Conſediſſe locis procul haud diſtantibus hoſtes.
Magna fuit vigilum nocturnas cura per vmbras,
Pratérq; excubias habitas data teſſera caſtris:
Noſtrates placido ſomnoq; ciboq; refecti:
Sumptis exſpectant armis orientia ſolis

Varuicenſis nuntio magnam auri vim dono dat & duplū promittit, ſi redieṇs renunciauerit Huntlæium ſecum ſingulari certamine congreſſurum.

H. *Lumina,*

Lumina, cùm roſeum linquens aurora cubile,
Luce coruſcanti formoſa retexerit orbem.
Dum venit Huntlæus, fruſtrà ſua lumina flectit
Huc ſimul ac illuc clarus Dudleius Heros:
Nec rediit quamuis oblato nuncius auro.
Tandem præterita media iam parte diei,
Apparent Scoticæ declivi valle phalanges,
Inſtructæ ad pugnam, infeſtiſqué inuadere ſignis
Anglos approperant: at noſtri aſcendere montem
Magnum interiectum, pugnæ vt locus æquior eſſet.
Dux equitum pugnax in læua ponitur ala.
Dextram (vbi claſſis erat) tutatur terra paluſtris.
Acies Anglorum. *Varuicenſis habet primos longo ordine ducens.*
Magna regenda acies tibi (Somerſette) ſecunda
Ceſſit, poſtremum Dacro fuit agmen habendum.
Iamqué propinquabant acies hoſtiliter ambæ,
Dat tuba terrificos clangores ære ſonoro,
Redditur armorumqúe fragor clamorqúe virorum.
Non collidendo ſe ſic exæſtuat vnda
Fluctibus, oppugnans reſonantia littora ſaxis,
Poſtquam ventipotens laxis emittit habenis
Fratres obſcuro diſcordes Æolus antro.
Pugnatur propè Muſkelburgum *Parte Scoti aduerſa paſſu gradiuntur anheli*
Accliuem in montem, confertóque agmine denſant,
Inter ſe iunctis quiſque agglomerando lacertis.
Tum cataphractorum ruit alta ferocibus haſtis
Et furibunda cohors, quorum primus cadit ordo,
Exhalantqúe animas traiecti corpora telis.
Aſt iterum admiſſis grauiter calcaribus inſtat

Cætera

Cætera pars equitum. Dux illis Graius Heros,
Qui primo accepit curſu graue vulnus in ore.
Vrget tota acies Anglorum, pectora Mauors
Belliger exacuit, creſcunt ad vulnera vires.
Conſultò ſtabat prope littus regia claſſis.
Haud procul hinc, vnde expulſa ſunt puluere glãdes
Sulphureo, celeri feruentes igne catenæ.
Millia bis ſeptem ſunt morte abſumpta Scotorum, Quatuordecim millia Scotorũ cadunt.
Cætera pars certam quærit fugiendo ſalutem.
Defeſſos tandem rauco tuba ſtridula cantu
Noſtrates reuocat: repetunt tentoria læti.
O quæ lætitia, & totis qua gaudia caſtris
Nocte fuere illa! res eſt meminiſſe laboris
Prætériti iucunda: graue effugiſſe periclum
Summa recordari ſecura mente voluptas.
Præcipuè inſignis clementia numinis almi
Succurrit: Cauſæ iuſtus Deus vltor iniquæ.
Poſtera lux oritur, fugiſſe per auia primos
Nuncius adfertur ſatrapas procereſque Scotorum.
Hos, montes cœlo æquatos, caſtella tueri
Illos, hoſtilem nuſquam apparere phalangem.
Approperabat hyems, ſpacia & breuiora dierum
Fiebant, oritur, cœlo nimboſus Orion.
Ergo domum verſus noſtri ſua caſtra mouebant,
Horam opportunam magis expectare parati:
Somerſettenſi reduci gratantur, & ipſi
Dudlæo Comiti Baruici: lecta iuuentus
Nobilior his grata redit, cui iungere dextras
Rex auet, & Regis cuncti amplexantur amici:

Laudatúrq́ animus præstans & mascula virtus.
Interea Scotici proceres leuitate tumentes
Inuidiaq́ animi, quò spes frustrata Britannos
Falleret, assensu communi mense Decembri
Ad Gallos mittunt, Gallorum vt principis hæres
Ducat in vxorem Scotica de gente puellam
Iacobi gnatam. Si non oblata parenti
Conditio Henrico placeat, ne regna coirent
Coniugio tali, saltem hoc concedere vellet,
Gallorum rector, quas certo mutuus olim
Fœdere iunxit amor gentes, Gallamq́ Scotámque,
Ne sinat vnam ex his distractam marte reuelli
Alterius pressam, vel sub ditione iacere.
Hoc agere immanes bellis crudelibus Anglos,
Anglos vere nouo rostratis puppibus æquor
Esse instraturos, acies terraq́ pedestres
Aduentaturas, Anglos molirier vnum hoc,
Vt vi diripiant charæ genetricis ab vlnis
Hæredem regni Scotici: si hæc præda Britannis
Cederet, ô miseræ Scotiæ miserabile regnum,
Genti infœlici nihil est, nisi flere relictum.
Quare per diuos omnes, per sacra rogabant
Pristinæ amicitiæ memor esset vt ante puellam
Eriperet, nam sæpe moras traxisse periclum
Quis nescit? virgo si primos transigat annos
Regiæ apud Regem Gallorum, at q́ educit aula
Ille sua teneram: magnum spes certa futurum
Inde bonum, gentem quod vtramq́ iuuare valeret.
Et postquam fuerit maturis nubilis annis,

Scoti agunt cum Franco de nuptijs inter principē Scotorum & hæredem Gallorum.

Pro Galli arbitrio nuptum cuicunq; locetur.
Extemplo Regis mandato Gallica classis
Instruitur, veloq; cita remóque triremes,
Quæ postquam e portu soluissent flantibus austris,
Gurgite prouecta Scotica potiuntur arena.
Mox Maria ad pictas puppes accersitur hæres
Hic illi instratum est ornatu molle cubile
Purpureo, ex niueis turgescens culcitra plumis
Subiacet, exornant contexta aulæa carinas,
Vasáque calatis aderant argentea signis,
Multaq; præterea quæ virgine principe digna.
Conscendens virgo rostratam pulchra phaselum,
Virgineo comata choro, stipatáque forti
Milite, vela suo flatu impellentibus auris
In mare prouehitur, ratibus sulcantibus æquor.
Ordo talis erat, cygnorum qualis in amne
Piscoso, medius dum primum & tertius illos,
Insequitur, seriem ducentes gurgite longam.
Classis in insidijs Anglorum forte latebat:
Quam Rex ipse manum nisi conseruisse vetaret,
(Nam vetuit) procerumq; itidē pars maxima fidis
Regi à consilijs bellum non esse gerendum
Nauale, ob causas iustas q; graues q; putaret:
Virgo vel inuitis Gallis erepta fuisset.
Virgo dies intra paucos peruenit ad oras,
Gallorum, celsaq; Henrici sistitur aula.
Sic leuiora leui pluma promissa Scotorum
Infamem reddunt gentem, dant sanguine pœnas
Perfidei quandoq; suæ, velut ante dederunt.

Maria princeps Scotorum traijcit in Gallias.

Interea insidias sub amico nomine tendens,
Occupat Aldernen Francus, duo millia secum
Armatorũ hominum ducens: locus insula parua est.
Mittitur huc paucis delectis nauibus acer
Winterus, pulsus pauidos, duce numine, Gallos.
Quamprimùm verò conspecta fuisset ab Anglis
Insula, fluctiuago iacitur curua anchora ponto.
Octingentorum sunt corpora lecta virorum
Omnibus ex Anglis: iussi hi conscendere cymbas,
Attingunt celeri sinuosum remige littus.
Hìc sapienter agens (prudentem nam facit vsus)
Vt sublata fugæ turpis spes omnis abesset,
Maiores animiq́ viris accrescere possent.
Postquam armata cohors tutò traiecta fuisset,
Ad classem cymbas Winterus milite inanes
Actutùm reuolare iubet: dein talia fatur.
Anglorum virtus celebrata prioribus annis
Me monet, vt similis maiorum temnere discam
Funestam mortem, quam longior aduocat ætas,
Aut morbus diro cruciatu inuitat amarus.
Mors spernenda viris, vt fama perennis alatur.
En circumfuso concludimur vndique ponto,
Hostis adest, forsan paulo numerosior, arte
Belli cessurus nobis, & fortibus armis.
Strenua gens Galli, grex hic imbellis inersq́:
Fingite prænalidos inimicos viribus amplis,
Corporibus reserare viam debemus & armis.
Res magnæ non absque graui discrimine fiunt
In dubijs prodest generosa audacia rebus.

Winterus regia classe vectus occupat Aldernẽ insulam.

Verba Gulielmi Winteri ad suos milites.

Qui

Quæ vestris animis quò maior & acrior insit,
Hoc mihi prosterni, charissima pectora, bello
Certum hodiè est, hostes nisi morte fugaúe domentur.
Aut vincendũ hodie est, aut pulchra morte cadẽdũ:
Pulchra petunt fortes, pulchrã per vulnera mortem,
Partaq́ mors nostri precium sit corporis huius:
Quod si quis fugiens dederit sua terga, (quod absit)
Turpiter excurrat medium moriturus in æquor.
Cymba sit auxilio nulla huic, nec denique scalmus,
(Dedecus infandum) non si Dux ipse venirem,
Si quis quid faciat contra mea iussa, peribit,
Fixus in antennis stridenti pendulus aura.
Martia magno animo procedam in prælia ductor,
Incipiens pugnam primus Dux primus in armis.
Primi occurrantis pectus manus ista recludet.
Dixerat, illi operam vitámq́ impendere læti
Constituunt, mox fit clamor, tuba bellica clangit,
Instructas iubet ire acies: antè ordine primus
Winterus graditur, præacuta cuspide pilum
Gestans, indutus corpus splendentibus armis.
Gallorum sese agglomerant duo millia contra,
Dux quorum ante alios nostri ducis æmulus audet
Contra ire incertum fretus virtute superba.
An velut ostentans audacia pectora, forsan
Sponte recursurus si quando instare periclum
Prospiceret. Sed retrò ducem Winterus atrocem
Non sinit elabi, veluti Iouis armiger ales
Quando persequitur celeri volitantia cursu
Agmina, neglectis paruis, maioribus infert

Winterus manum conſerens cum duce Francorum, illũ ꝓſternit & Galli exuuijs potitur.

Vulnera, diuulſis depaſcens corpora plumis:
Sic rapidus primum Ductorem prouocat Anglus.
Et quoniam in campum cum pilo venerat hoſtis,
In Gallum paribus Winterus prouolat armis,
Deuictumque ducem flaua proſternit arena.
Exuuias victor, ſpolium detraxit opimum.
Intereà multo pars vtraque ſanguine miſcet
Pralia, latifero penſatur vulnere vulnus.
Diffugiunt Franci, confoſſi membra ſagittis.
Inſula capta armis, cedit victoribus Anglis.
Wintero poſt res geſtas Ductore iubente,
Naucleri clauos ad littora nota retorquent:
Multaque militibus ſæua fit mentio pugnæ,
Cunctorum applauſu mentis teſtante beata
Gaudia, quæ partus ſolet appertare triumphus.
Paruaper externas inclaruit Anglia gentes,
Nobilitata domiq́ foriſq́ virilibus auſis,
Clara ferebatur ſublata Britannica pubes
Succeſſu rerum, complentur cantibus ades,
Inflatur plenis per compita tibia buccis.
In viridi trepido ſaltantes ceſpite motu,
Lati feſtinas populi duxere choreas.
Nemo diù fœlix, omniq́ue ex parte beatus
Eſſe ſolet, peior ſequitur fortuna priorem.
Et veluti obſcuro denigrant imbre ſerenum
Horriferi cœlum ventoſis flatibus auſtri,
Tum Phœbus ſpiſſis condit ſua nubibus ora,
Finita rutilans mox tempeſtate refulget:
Quæque modo ſimili perfert reſpublica multas

Nonnun-

Nonnunquam offensas, turpi turbata tumultu,
Diluit has matura tamen prudentia Regis:
Atq; velut medicus sapidis medicamen ab herbis
Ægroto tradens, leuiter tetro absq; dolore
Sanat: ita insanis veniam dat ciuibus vltrò
Princeps, dum populum vult emendare rebellem:
Aut ferro resecat bene cautus putrida membra,
Principijs obstans, ne pestis serpere possit
Latiùs, & totum corpus vitiare veneno:
Victa pys monitis, aut vi, ferroúe coacta
Sedata tandem plebs seditione quiescit.
Non aliter quàm cultus ager proscissus aratro
Curuo, dumosas spinas cum semine profert:
Ingratos aliquot diues tulit Anglia ciues.
Namq; sub Eduardo dum summa in pace regũtur
Ruricolas stanni Deuonia fertilis armat
In regni satrapas, in relligione sacratos
Presbyteros: stulti neq; sat rationis habebant,
Quidúe velint quidúe exposcant: compescuit ipsos
Arma capessentes vi communitus equorum
Graius & adiunctis paucis Russellius Heros
Militibus, multo sed non sine sanguine victor.
Ecce alia exoritur regni plebs improba parte,
Cui nec lex vlli cura, nec cœlica iura,
Nec potuit cohibere metu reuerentia regis.
Arma manu capiunt, socijs vim inferre parati,
Omnia miscentes: clari despectui habentur
Nobilitate viri, nullóq; ignobile vulgus
Consilio imperitat: fouet hoc Norfolcia monstrum.

Populus rebellis in Anglia.

Russellus Comes Bedfordiensis, domat perduelles in Deuonia.

Fama volat leuibus ſublata per aetheria pennis
Eduardi iuuenis teneras ad principis aures,
Quoſdam deciuiſſe, fidem violando rebelles.
Norwico veteri locus eſt conterminus vrbi
Montoſus, multis vmbroſis conſitus ornis,
Huc ſe peſtiferum pariter genus aggregat, ingens
Et plebis numerus totis conſederat aruis
Lex talem fieri concurſum iuſta vetabat:
Cenſuit illuſtris Rex inclementiùs illos
Tractandos: ſed corda tamen molliſſima Regis
Parceret vt miſero, flexit clementia, vulgo.
Ergo ſit indignis delicti gratia, tantùm
Pœniteat culpæ. Signata diplomata dantur.
Ruſtica plebs ſurdis (quod dicitur) auribus hauſit,
A Rege oblatam contemnens caeca ſalutem:
Ardet amore nouæ miſeraq́ cupidine pugnæ,
Sicut inexpertus belli putat vtile bellum
Dulceq́ quod tandem ſerò guſtabit amarum.
Arma igitur regni procerum conſenſibus, arma
Iure parabantur, pedites, aliyqué ſuperbis
Expediuntur equis: nomen communiter hoſtis,
Et patriæ & Regi tenet impia turba rebellis.
Mittitur ad turbam violento Marte domandam
Varuici Comes illuſtris, tùm corpore, præſtans,
Tum pollens animo, multarum doctus ab vſu
Pugnarum, quanto ſe animo ferus erigat Anglus,
Prælia dum miſcens infligit atrociter ictus.
Tertia iam totum lux illuſtrauerat orbem,
Conſedere ſuis caſtris Dudleius Heros

Et ſocij fortiſq́ cohors quæ venit ab vrbe
Londino, prope Noruicum florentibus aruis.
Quod ſimul audierat plebs ruſtica plena timoris
Cœpit ſe denſis nemorum occultare latebris
Nuſquam prorepens, poſtquam ijs audacia creuit,
Tempore quo motæ cita perturbatio mentis
Frangitur, irrumpunt: in apertam promptiùs itur
Planiciem, nemo eſt viſus memor eſſe pericli
Inſtantis, iunctis armati curribus omnes
Stant circumſepti: Regis contra agmina magnis
Procedunt animis cantu reſonante tubarum.
Pugna inter turmas committitur acris vtraſq́:
Vulneribuſq́ datis illos violentiùs vrget
Varuicenſis atrox: tandem cùm cedere campo
Hinc pudor haud ſineret fugiendo pericula fœdè,
Illinc audaces faceret mors certa rebelles.
Vna repugnando pars occidit, altera ſumma
Non niſi vi ſuperata cadit, ſed fortiter obſtat
Hîc Dux Dudleius, ne cunctos mactet ad vnum
Ingenio peruerſo homines, ſed pectore magno,
Quos campo vt fugerent, diſcrimina nulla mouebãt.
Edicit miſſi præconis voce canora,
Si quis ſponte ſua quæ perfida ceperat arma
Proijceret, veniamq́ volens oraret ab illo:
Inde domum immunis venia donatus abiret.
Quod poſtquã auditũ eſt poſitis plebs protinus armis
Agreſtis, flexis genibus veniamq́ precata eſt,
Motáque mœrore eſt, piſcator vt aſſolet ictus.
Tum Varuicenſis Comitis clementia tanta eſt,

Varuicenſis deuicit rebelles in Norfolcia.

Mulctam

Mulctam flagitij ſuſcepti ſponte remiſit,
Condonans noxæ quicquid fuit ante peractum.
Iamq; Gigantæi conſors conamінis Anglus
Nullus erat: præſtare fidem modò quiſque paratus
Exſtitit Eduardo regi, patriæq; fidelis.
Excipit à bello funeſto principis aula
Dudlaum reducem, cuius reſonantibus alis
Fama volat noſtri turrita per opida regni:
Qualiter Henrico præclarè plurima Rege
Geſſiſſet, fortes bello dum contudit hoſtes,
Non morte horrenda, non vllis territus armis:
Nil penſi caput ille ſuum obiectare periclis
Vnquam habuit, patriæ ſi quando negotia charæ
Exigerent, ſi rex illud mandaſſet agendum.
O quoties parto cum ſumma laude trophæo,
Littore ab extremo patrias remeauit ad oras:
Hoſtibus occiſis, aut ad ſua tecta fugatis.
Vndè ſibi decus eximium, famamq; perennem,
Fortunante Deo ventis bene capta ſecundis,
Complures annos peperit Dudleius Heros.
Varuicenſis Comes creatur Dux Northũbriæ
Hinc meritò fuit ad ſummos euectus honores.
Rege creante Ducem, læto Northumbria vultu
Eſt amplexa Ducem, venerandaq; principis aula
Diſpenſatorem ſummum, hoſpitiſq; Magiſtrum
Mors Eduardi ſexti.
Obſequio coluit, donec trux Atropos occans
Abrupit Regi fatalia ſtamina vitæ.
Laus Eduardi principis.
Inclytus Eduardus formatus ab vbere matris
Confeſtim doctus à præceptoribus artes
Ingenuas omnes didicit, qui græca latinis

Adiungens

Adiungens ſtudio, paucis profecerat annis,
Vt foret inferior nullo quem terra Britanna
Protulerat, claro magnorum ex ſtemmate Regum.
Nullus adæquari poſſet, ſi flexilis ætas
In puero egreſſo nondum tria luſtra duoſq;
Annos, ingenij aut præcox ſpectetur acumen:
Quantum ad doctrinas virtuteſq; attinet almas.
Ille erat Europæ Phœnix, quem funere acerbo,
(Vt flos vere nouo viridanti carpitur horto)
Sustulit ante diem, mors immatura Britannis,
Inuidet hæc terris pietatem & iura colentes.
Sic pueri, iuuenes, primis moriuntur in annis,
Quos Dominus ſuaui Deus eſt complexus amore.
Succedit Regi defuncto, ſceptra capeſcens
Fœmina, cui nomen Maria eſt, ſoror vna duarum
Ex ſtirpe Henrici: qua paucis nupta diebus
Poſt, homini externo conſanguineoq; Philippo,
Coniugio tali ſubtriſtes reddidit Anglos.
Namq; duas gentes rarò coaleſcere cernas
Vnanimes patria plerunq; & amore diremptas.
Hic dum cum ſponſa ſeſe nouus ille maritus
Oblectat, pulchra procerum comitante caterua,
Quos veſtes Tyrio decorabant murice tinctæ
Auratis limbis interlucente ſmaragdo,
Quam vagus extremis portat mercator ab Indis:
Sol, curſum celerando, reliquerat ora Leonis,
Signaq; ſublimi complura emenſus in axe
Solſtitium hybernum ſparſis niue montibus alba,
Prætergreſſus erat: dulcis pax inter viramq;

Maria regina Anglorũ nubit Philippo Hiſpano.

Gentem

Gentem nimirum Gallos florebat & Anglos.
Pax eadem Hiſpanos, Flandros, populumq́ Philippi
Iunxerat, & quoniam feriæ redeuntibus annis
Non ſine ſolenni pompa, quæ menſe Decembri
Fiunt, ſecuros omnes fecere doloſæ
Fraudis, quam tacitè nocturnus concipit hoſtis:
Henricus princeps Gallorum, ardore inuentæ
Concitus & famæ paulò ſitientior, hauſit
Spes amplas animo, nullum ratus eſſe Philippum
Certè aut ſemiuirum: ſubito ſacra fœdera rupit,
Impreſsio' in Flandriã facta per Gallos.
Flandrorum latos deuaſtans ignibus agros,
Et pecus abducens, captiuaque corpora plebis.
Quod regi Hiſpano ſtomachũ male mouit, & omnes
Illius proceres ſæuas accendit ad iras.
Non dum tempus erat quo longò ſurgere culmo
Alma ceres ſolet, & pecori dare pabula tellus:
Torrida nec terram humentem calefecerat æſtus,
Quo ſub cœleſti miles foris axe cubaret.
Ergo dum ſperata venit cupientibus hora:
Armatur claſſis, mucrones, tela, ſagittæ,
Arma parabantur, caro, vinum, panis emuntur.
Suppetat vt validis genialis victus abundè
Militibus, nummi plenis conduntur in arcis,
Vt ſolui poſſit merces pugnantibus ampla.
Cogitur è varijs pugnax exercitus oris,
Ad regni proceres mandate iubente Philippo.
Nobilis interea coniux ſpecioſa Philippi,
Apparatus belli aduerſus Francos.
Auxilium fidum charo latura marito.
Mittit ad Henricum Gallum, qui funebre bellum.

Indicat,

Indicat rigidásque minas genti insuper addat.
Gallia tota fremit trepido concussa tumultu,
Anglia tota fremit ferali concita bello,
Flandria, & Aspurgus, Burgundia tota Tyrolis.
Complures opulenta Duces Hispania mittit,
Nonnullos etiam quos Martius vndique terror
Prudentes rerum multarum fecerat vsu.
Omnes conspicuos oblongis casside cristis,
Tegmine ferrato clypeis fulgentibus ære.
Dux illustris adest Brunsuico nomen honoris
Sortitus, nigris, equitum vi cinctus, in armis.
Aspectu primo turma hæc fuit hostibus ingens
Terror, & immani multos vi strauit equorum
Misit in auxilium Germania lecta virorum
Corpora ferratas acies peditumq; cateruas.
Nec deerat miles Latia de gente cruentus,
Dalmata non deerat bello huic nec defuit Hunnus,
Attamen ante alios, fiducia summa locata est
In quibus armatus validè conuenerat Anglus.
Fœdus amicitiæ vetus id poscebat, & vxor,
Cui cum Rege fuit socio commune periclum.
Est Comes in primis, cui dat Penbrookia nomen:
Huic tres præstantes, quorum Vigornia primum,
Bedfordumq; vetus decorauit honore secundum,
Tertium & euexit multo Rutlandia fastu,
Consimiliq; gradu propter benefacta locatus,
Antonij Antonius Brounus clarissimus hæres.
Cum quibus arma capit Dudlæi mascula proles,
Magnanimum genus ostendens quo sanguine cretũ.

Variæ gentes in exercitu Philippi.

Palma

Palma nequit grauiore premi, sed in altius arbos
Surgens erigitur, si quis modo pondere truncum
Degrauet & ramos, seseq3 attollit in auras.
Laus bello celebris, bello quaeruntur honores.
Principis hinc conflatur amor, propensa voluntas,
Atq3 fauor vulgi, si quis pro arisq3 focisq3
Deuouet ipse caput, pro principe nulla pericla
Euitans, quamuis mortem subijsse paratus.
Hoc erat innatum, si nemo traderet artem,
Dudlais, inuictum animum cum lacte parentis
Imbiberant: tanti est praestantibus esse creatum.
Vltrò tres fratres paribus celebrantur in armis.
Quorum primus ouans praestanti corpore prodit
Ambrosius, latis humeris, quem splendida vestis
Purpurea auratis fortem decorauit in armis.
Cuius erat lateri fraterno fœdere iunctus
Mutuò vt alterius partes defenderet alter,
Robertus, fausto germanus sidere natus:
Vtq3 fuit mitis, sic indole fortis & audax.
Tertius his vinclo sociatus iungitur arcto
Henricus, fidens animi, vacuusq3 timoris,
Hi malis fuerant tres pubescentibus omnes,
Qualia perrarò producit corpora tellus.
Quartus erat natu maior germanus: at illum
Abstulerat iuuenem mors immatura, latenti
Correptum morbo, fatisq3 peremit iniquis.
Hic patrem & summa proauos aequàsset honore,
Inferior nulli maiorum laude gerendis
Rebus, vis animi, vis corporis integra fulsit.

Herculeis

Herculeis hominem dixisses esse lacertis.
Robore præstabat, teriti seu luderet hasta
Vectus equo, seu tentaret luctamine vires.
Ingenitus malo qualis latet arbore succus,
Talis in autumno producit poma saporis:
Sic referunt proauos Dudlæo sanguine nati
Omni ex parte suos, & quem rapuere sorores
Fatales, & quos capiunt Hispanica castra.
Præterea plures quos nobilitârat equestris
Ordo, manu rapiunt in Gallos bellica tela:
Millia magnates hominum bis quinque sequuntur.
Iamq; dies aderat, quando tuba Martia clangens
Has gentes multum diuersas cogit in vnum,
Et monet æstiuis spicas turgescere aristis
Opportuna dies: viridantia gramine prata
Bellatoris equi producunt pabula læta.
Gallia per totam regionem fortis abundat
Castellis, saxo salebroso ex rupe cauata
Effosso, validis scatet vrbibus vndique florens:
Seu qua Hispanorum fines, seu quà aspicit Alpes
Lata pruinosas, seu quà se extendit ad ortum
Igniferi solis: fera Gallia iure superbit
Oppidulis, fossa & munitis turribus altis.
Hic vrbs est celebris, cui das Quintine celebre Oppidū Diui Quintini obsidetur.
Nomen, habetque solum fœcunda fertile gleba.
Et frugum vinique ferax sua castra Philippus
Cum socijs hoc fixit agro, cum cincta coronis
Vrbs hominum, magno stupefacta repentè timore,
Implorat serò Gallorum principis amens

Auxilium, nam pars præruptas ducere fossas,
Communire potens cæpit pars aggere vallum,
Pars aptare suas scalas & tecta domorum
Tradere Vulcano, pulsant alij ariete muros.
Interea tacitos nemo præsenserat æstus:
Castilionæus noctu comitantibus vrbem
Ingreditur Gallis aliquot quos duxit onustos,
Sulphureo leuibus repletis puluere saccis.
Hæc huic fausta satis: dum furtim subdolus intrat
Oppidulum, sed non æquè fœliciter ausum
Dux Memoranti tibi cessit, millia ducens
Octodecim, dum sperat iter per deuia tutum:
Donec nocturnis queat intromittier horis:
Dux Memorantius captiuus. *Incidit in validas equitum (Dux inclite) turmas*
Ipse tuas cæsa media plus parte, capessit
Cætera turba fugam captiuaq́ corpora victor
Brunsuicensis habet, mox sistitur ante Philippum
Dux celebris captus, vario per castra tumultu.
Ingens lætitia exoritur, cœlum omne remugit.
Hinc primum fausti belli quisque arripit omen,
Certatim rapidis tormentis mœnia miles
Diruit admotis complentur rudere fossæ.
Cæmento magna vi glandis saxa soluto
Dissiluere tribus murorum partibus, ampli
Et faciles aditus loca per diuersa patescunt.
Extemplò quosdam lectos ex quaque phalange,
Quaque ex gente aliquot niueis rex apparat armis,
Inuadant q́ iubet districtis ensibus vrbem,
Qua pateat introitus facilis, conuulsaq́ saxa

Dant

Dant aditum: ſpiſſus reſonat clamoribus æther,
Tympana pulſantur manibus, clangore tubarum
Militis in ſtrepitu clamorum obſurduit auris,
Hac Alemanni acres, iſtac leuis Italus vrget, Oppugnatio Oppidi.
Illac Hiſpanus per murum irrumpere tentat.
Parte alia Anglorum ferratæ inſtare caterua:
Ante alios parat Henricus Dudleius Heros,
Mœnia præcipiti velox tranſcendere curſu,
Et duo germani fidentis pectoris ambo:
Attamen Henrici, dum ſe inclinare deorſum,
Neſcio quid rupturus auet, tormenta cerebrum,
Ænea diſpergunt, ſternunt q3 in puluere corpus.
Ille annis generoſam animam iuuenilibus efflat,
Quem referunt ſocij flentes in caſtra peremptum,
Vt mos chriſticolæ eſt, velatum ſindone gentis.
Ardeſcunt fratres vindictæ triſtis amore,
Vt quiſq3 eſt armis inimicis obuius hoſtis
Sternitur infœlix, commotus fulminat ira,
Percitus armipotens & amara bile Britannus.
Impetus in miſeros ſit feruidus vndiq3 ciues,
Plurima turba virûm triſti dimittitur orco,
Pallida mors tota concluſos territat vrbe:
Qui modò Gallorum ſanabile mollibus herbis
Vulnus habet, fœlix reliquis cenſetur habendus.
Fœmina clamores magnis plangoribus edit,
Infantemq3 tremens comprendit mollibus vlnis,
Huc agitata ſimulq3 illuc formidine demens.
Flet puer, armorum tam barbarus ingruit horror,
Extendenſq2 ſuas ſupplex ad ſydera palmas,

Multa Deum tacita clementem voce precatur.
Quos naturalis capitis defecerat humor,
Flereq́ non poterant, quibus est proiectior aetas,
Corde senes imo mœsti suspiria ducunt.
Ad mediam producta diem oppugnatio pugnæ
Perpetua durat, magna virtute Philippi
Militis, vndanti sed non sine sanguine ciuis.
Obsessi trepida metuebant mente ruinam,
Vrbi instare suæ fataleq́ tempus adesse.
Iamq́ acies vrbem claustris intrarat apertis,
Diffugiunt miseri gelida formidine ciues,
In cellas alij obscuras, laquearibus altis
Sese alij condunt, Diuis delubra dicata
Maxima turba petit, mediasq́ amplexibus aras
Ter miseranda tenens, tutum fore credit asylum.
Armatis muros, firmissimaq́ occupat vrbis
Militibus victor, dominantur in ædibus altis,
Iam vacuis veterum Dominorum Marte phalãges
Conspicuæ, sub te rex clare Philippe merentes.
Diripiuntur opes Gallorum, vestis & aurum:
Et celata fabris argenti pocula puri,
Effractis conuellit ouans Hispanicus arcis
Miles, & è tectis pretiosa aulæa reuellunt
Germani, inquè via proiectis culcitra plumis
Venalis nummos exponebatur habenti,
Ex lana & lino per vicos prostat amictus,
Vtq́ escas coqueret qua seruabatur in vsus
Assuetos, veteris pulchra instrumenta culinæ:
Ænea cum pateris ex stanno venditur olla

Oppidum Diui Quintini expugnatur.

Drachmis

Drachmis addicente palàm præcone duabus.
Quicquid in vrbe fuit tota pretiosa supellex,
Gemmæ vel mundus muliebris & vnio cæcis
Inclusus cistis fauste victoribus amplam
In prædam cessit cœlum sonat omne Philippi
Laudes, Augusti quas patris honoribus æquant.
Diuorum interea plebs conglomerata sacellis
Mœsta sacrosanctis miserabilis abdita templis,
Expectant tremulo præsentem pectore mortem.
Nullam etenim poterant ciues sperare salutem:
Qui Martem experti per vim subiguntur ab hoste.
Sed mouet affectus animorum numen, & eius
In manibus sunt regum animi: quocunque voluntas
Fert sua, vertit eos: & mollia pectora reddit
Ad pietatis opus, flammis, vt cera liquescens
In varias formas fictoris ducitur arte.
Regius hinc animus sedata mitior ira,
Procurante Deo vacuus pacatur ab omni
Offensa, reprimiq; manus à sanguine iussit. Clementia Regis Philippi.
Iam captiuorum sexus vtriusque coacti
Multi aderant, tenera turbà puerilibus annis,
Parcitur & seruis, sed sub custode tenentur
Pars opulenta magis, sicut lex bellica poscit.
Inter complures præclaro sanguine cretos
Castilionæus, quem rex præfecerat vrbi
Custodem, capitur pretio redimendus, & illic
Præsidio imposito victor sua castra Philippus
Inde mouens, ad castellum se contulit Haunen Arx Haune per vim capitur.
Quod cito debellans, alias capiebat & arces.

Hæc dum Francorum regione geruntur Eôa,
Anglorum classis celeranti remige Ductor,
Nobilis insigni satraparum ex sanguine Clynton,
Appulit occiduas Gallorum peruigil oras.
Ter centum vasto vidisses gurgite naues,
Excelsis galeis pertingit & æthera malus,
Glandes igniuomas tormenta ex ære volutant,
Quæ caput atque latus firmat cuiusque carinæ,
Exitium aduerso crudele minantia Gallo.
Nobile Conquetum salsis Thetis alluit vndis,
Huc postquam ventũ est, signũq; ex puppe dabatur
Nauibus exiliunt fusi per littora nautæ.
Ante alios primus Ductores attigit omnes
Winterus terram: rutilum ad fastigia iactans
Ignem: quo rapidæ lambebant mœnia flammæ:
Materiam præbent non tantùm ligna domorum,
Vasa olei duplicant ignes, fugit incola gressu
Præpropero, muri lapsi cecidere ruinis,
Fœmina plorabat, trepido puer eiulat ore:
Cumq; resistendo non sit, fugit ocyus ætas
Integrior iuuenum nullo per deuia calle.
Non spolium claro Clyntoni, gloria belli
Quæritur: vrbs & opes flammis periere crematæ.
In cineres conuersa iacent, quæcunque propinqua
Oppidula, ad cœlum sursum volitant e fauilla:
Audax castra facit Clynton hostilibus agris,
Pòst repetit pictas magno auctus honore carinas:
Acta hæc Sextili, gelido dein mense Decembri
Deditur infœlix Gallo oppugnante, Caletum,

(Hu-

Infandum facinus) tenuit quod turba ſenilis :
Plures imbelles, miles fuit vnus & alter
Intra vrbem, at multos non ſuſtinet vnus & alter.
Præſidium vetus hic neglectum: & fœmina princeps
Conſilio infando ventoſi antiſtitis vſa eſt,
Externis tam tum terris abſente marito.
Adde iſtis Neptunum iratum turbine motum,
Et Geſſoriacum procul hinc ſtans trans mare littus
Inuitis vrbem hanc poterant obtrudere Gallis.
Hiſpani oppidulo amiſſo contabuit vxor,
Quam cruciatu agro confecerat anxia cura.

FINIS.



EIPHNAPXIA

Siue

ELIZABETHA.

De pacatiſsimo Angliæ ſtatu,

imperante Eliſabetha, compendioſa narratio.

Huc accedit illuſtriſsimorum

virorum, qui aut iam mortui, fuerunt aut *hodie ſunt Eliſabethæ Reginæ à conſilijs*, perbreuis Catalogus.

Authore Chriſtophero

OCLANDO.

LONDINI:

Apud Ra: Nuberie, ex aſsignatione Henrici Bynneman.

1582.

Cum ſereniſſ. Regiæ Ma: priuilegio.

Ad prænobilem, & in primis eruditam fœminam, vtriusque litaraturæ *& Græcæ, & Latinæ peritissimam, Dominam* Mildredam, Dynastæ Burglæi magni Angliæ Thesaurarij coniugem laudatissimam.

Ræcia virginibus doctis inclaruit olim,
Quarũ scripta manent hodie circumlita melle
Pieridum, liquidis Pernassi è fontibus hausto.
Linguam callentes produxit Roma Latinam
Fœminei sexus multas: sed & omnibus istis
Laus minor in patrio claras idiomate, viuam
Nominis æterni scribendo relinquere famam:
Quàm quæ nascuntur terris procul inde remotis
Nobilibus Nymphis: quibus est vernacula primis
Ediscenda annis, dein multo lingua labore
Stricta suis numeris formæ Romana nouatæ:
Quales nostrates non paucæ nomine claro
Floresc unt hodie Britannûm stirpe creatæ.
Vtqué viri docti coniungunt Græca Latinis,
Quod magis est velut artifices & carmine certant,

Quo

Quo vel Homere tuis libris, vel quo Maro clares,
Depoſcat ſi res ex tempore cuncta loquentes.
O Nymphæ, vos ô illuſtres dico ſorores
Quatuor, ante alias tibi ſed Mildreda colenda
Attribuo primas, mihi iam precor optima fautrix
Vt ſis auxilio, tege me velut altera Pallas
Ægide, ne liber hic mordacem ſentiat ictum
Dente Theonino corroſus. Zoilus atrox
Omnis abeſto procul. Si nos tutabere vultu
Et fulgore tuo luſtrans, accedere nuſquam
Inuidus audebit: ſic firmo tutus Aſylo
Tanquàm concluſus diſcrimina nulla verebor.
Inferiora ſcio longè virtute potentis
Reginæ mea ſunt agreſti ducta camœna
Carmina, iam fidi ciuis ſed certa voluntas
Apparere poteſt, rem ſi modò ponderet æquus
Candidus & lector, non verba examinet acri
Iudicio, nec ſit limæ cenſura ſeueræ.
Clarior extollat ſi quando buccina pacem,
Et cupio & iubeo flammis mea charta cremetur.
Interea Heroîna tuæ mea ſcripta dicaui
Tutelæ, veſtrum peto ne auerſare clientem.
Hoc tua nobilitas, niueíque in pectore mores
Exculto, pietas mentis ſuper omnia poſcit.

Dignitati tuæ addictiſſimus
Chriſtophorus Oclandus.

Ad

Ad Lectorem Candidum.

CArmina si placeant grandi turgentia fastu,
Quære Poëtarum Lector amice libros.
Fortè quod augustæ plus Maiestatis haberet
Dicas de tanta Principe Vatis opus.
Digna quidem fateor, quam decantaret Homerus
Carmine Mœonius quam vel Apollo lyra.
Non ego sum Vates, veniam dabis (oro) petenti,
Si grauior iusto sarcina onusqué premat.
Ars virtute minor mea tantæ Principis, alti
Buccina quæ fuerit plena sonoris opus,
Si reliqui taceant, cur non mea Musa loquetur?
At cùm quis culto doctior ore canat,
Tunc volo candenti chartas has igne cremari.
Principis interea hoc Carmine claret honos.

In Christopheri Oclandi *Elisabetham.*

MVlta laude tuum delectum Oclande beasti,
Materia versus nobilitante tuos.
Nam quid nobilius Sol nostra Principe cernit?
Quam quæcunque canit Musa, latere nequit.
Cuius honor quanta sit maiestate, fatentur
Pace huius Regum prælia victa patrum.
Sed magis ingenij miror solertis acumen,
Quód famæ video consuluisse suæ.
Namque tuum illius si carmen honoribus impar,
(Quos dignè quænam musa sonare potest?)
At tibi quantus honos? quàm magnæ gloria palmæ,
Mole oneris victum succubuisse senem?
Hanc quicunque canet, canet impar, cuius honori
Vllam viderunt secula nulla parem.
Fortunati ambo, tu carminis huius honore,
Illa quòd egregio carmine digna gerat.

Richardus Mulcaster.

Ad.

Ad Oclandum, de Eulogijs ſereniſſimæ noſtræ Eliſabethæ poſt Anglorum prælia cantatis, Decaſtichon.

REctè poſt Martis lituos pacalis Oliua
Suggeritur calamo cane Poëta tuo.
Scilicet, vt feruens Martem laudauerat ætas,
Palladis expetijt ramus habere ſenem.
Et Martis lituos ornas, virgamqúe Miueruæ,
Grandia ſiue canis, dulcia ſiue canis.
Seu pacem, ſeu bella refers, in vtráque camœna
Vel Deus exprimitur, vel Dea maior eo.
At mihi ſi credes, cantus imitabere Cygni,
Funeris vt ſit laus Eliſabetha tui.

Thomas Watſonus.

Argu-

Argumentum Libri.

MAtrimonium Henrici octaui Regis & Annæ. Censuræ Academiarum Italiæ & Galliæ contra Papam. Anna Regina triumphali curru per vrbem Londinensem vecta, in fano Diui Petri occiduo, ex auro puro gemmis interspersis corona induitur. Anna vterum gestat ex Henrico. Natalis Elisabethæ septimo Septembris. Post triduum infans baptizatur, & in fide ex more Ecclesiæ confirmatur. Elisabetha per fetiales Walliæ Princeps declaratur. Somnium Annæ Reginæ, quo admonita est intra xxx. dierum spacium se è vita migraturam. Educatio Eduardi fratris & Elisabethæ sororis in vnis ædibus. Post mortem Henrici regnat Eduardus, & ante decimum septimum ætatis annum completum fato concessit. Maria imperante Ecclesiæ afflictio. Complures Angli exules. Comes Courtneius in suspicionem quasi parum certæ fidei in Principem venit. Idem accidit Dominæ Elisabethæ. Illa autem innocentiæ suæ fidens, quæ semper optima, non semper tuta, Numine propitio liberata est. Maria morbo sublata, ineffabili cum lætitia populi Anglicani omnium ordinũ regnat Elisabetha. Primum ab ea de religione consulitur, deinde de Regni rebus. Illustrium virorum catalogus, qui aut fuerũt, aut sũt Reginæ Elisabethæ à cõsiliis. Pax Angliæ per viginti tres totos annos. Virtutes Elisabethæ breuiter commemoratæ. Rebelles in agro Dunelmensi, nullo sanguine fuso victi & fugati. Hiberni vna cum socijs ob fidem in principem violatam pœnas dant. Votum Authoris, vt Regina Elisabetha diu viuat, diu regnet, semper vincat.

Εμπαρχία. Siue ELIZABETHA.

Regali extemplò solio Regina locatur
ELIZABETHA potẽs, magni altera filia Regis,
Eliſabetha pijs primos imbuta per annos
Moribus, & ſophiæ ſtudijs, inſtructa ſacrata
Doctrina, & linguæ Latiæ Graiæq; perita.
Linguas Europæ celebres intelligit omnes,
Quid Teuto, Hiſpanus, Gallúſue, Italúſue loquatur:
Pluſquam credibile eſt, iuris rerumq; perita
Ore verecundo, vultu facieq; venuſta.
Vis animi talis, qualem (vix credo) videre eſt
Fœmineo in ſexu: diuinum lucet in illa
Ingenium: ſæcli laus ô laus vnica noſtri.
Reuera è cœlo demiſſa ad ſceptra gerenda,
Virgo pacis amans, quæ ſtat contraria bellis.
Altiùs vt repetam pandens ab origine magni

Filiola

Filiola Regis natalem, quanè creatus
Matre; diu tristes mira perfuderit Anglos
Lætitia, fœlix sub fausto sydere partus,
Præclaram Henricus sacro sibi iunxerat Annam
Coniugio, illicitum lata sibi conscius esse
Lege Dei, fratris lætari coniuge, fratris
Amplius Arthuri sponsa gaudere ingali:
Quam Rex viginti iam totos tresq; per annos,
Imprudens aut ignarus diuinitus ore
Moseos hunc nexum prohiberi fœdere lecti,
Duxerat (Heroum cœtu suadente Britannum)
Tanta rependatur ne dos vxoria fratre
Defuncto: verbis istis, diplomate misso,
Romanus probat hoc Præses (si est cognita forsan)
Quod licet vxorem germani ducere fratris
Germano fratri, fuerit si fortè superstes.
Paulo pòst huius rescissa probatio facti
A Gallis, iurisq; Italis vtriusq; peritis,
Vt sua doctores taceant suffragia nostri,
(Quos omnes decorat sacræ professio legis)
Arguit effrontem Papam complura patrare,
Tanquàm Lex subiecta sibi cœlestis, & ipse
Non sit subiectus legi, pars cætera sicut
Subijcitur capiti Christo, quæ Ecclesia vera est.
Nam caput est vnum Christus, cui corpus ouile est
Christicolũ, capita haud duo sũt, est corpus vbi vnũ.
Hinc primò accepit trux immedicabile vulnus
Bestia, conuulso longis ex cornibus vno,
Communita nouem, latum quæ territat orbem

Matrimonium Henrici octaui & Annæ.

Censuræ Academiarũ Italiæ & Galliæ contra Papam.

Et ſacer afflatu diuino præcinit olim
Venturum vates, fera quòd frendebit inermis
Bellua, ſurreptis reliquis ſibi cornibus, omnes
Quam terræ reges ſignato tempore nudam
Deſtituent, maculis nigris & turpiter hirtam.
Ergo Dei verbo benè fortunantibus aſtris,
Henrici ſacrum ſancitur Regis & Annæ
Coniugium, & digno pompæ celebratur honore:
Quam procerum primi magnorum pluribus ornant
Stipati famulis, fuit illis byſſina veſtis
Verſicolor, Satrapæq; togis fulgentibus auro
Conſpicui, grandi geſtabant pondere torques,
Illuſtris digitos precioſas fœmina gemmas
Induit, & tereti baccata monilia collo.
Dependent aulæa domus laquearibus altis,
Palladis arte forent veluti contexta perita.
Omnia lætitiam ſignant, pueriq; viriq;,
Virgineuſq; chorus lætum Pæana canebant:
Multiplici varios inflata foramine buxus
Artificis parit ore ſonos, per compita lætam
Vidiſſes trepido ſaltu geſtire iuuentam.
Hæc hilaris populi frons oblectare Monarcham,
Exhilarare noua poterat cum vxore maritum.
Aſt vteri extenti poſtquam Regina tumore,
Iudicium haud dubium concepti ſeminis ædit,
Vah quibus eſt elata modis Britannica tellus,
Vah deſiderio quanto pars nobilis ardet
Anglorum, vt patri naſcatur maſcula proles.
Extemplo ad flaui turritam Cæſaris arcem

Pompa ſolennis nuptiarum Henrici & Annæ 1533.

Anna grauida facta.

Rega-

Regali Princeps comitatu ducitur Anna,
Vnde redit regni maiorum more coronam
Sumptura ex puro gemmiſq́ nitentibus auro :
Huic, Anglo multam populo dicente ſalutem,
Neſtoris huic annos, huic omnia fauſta precante.
Intereà ciues, bigis dum tranſit in albis
Vecta triumphali curru Regina, ſatelles
Purpureo indutus paſſim quam ſtipat amictu,
Suffitum faciunt, tanquam fumantibus aris
In templis Diuûm populum pia vota vouêrunt.
Non ſecus ac leuibus culmis æſtatis ariſta
Suffultæ, totis denſo ſtant agmine ſulcis,
Spectatorum oculis ne poſſit terra videri,
Læta ſeges ſenſim ventis huc, fluctuat illuc.
Confertim populus vico ſeſe ingerit omni
Irrumpens, completq́ vias vt ſtantibus eſſet
Vix locus, intuitu defixas in vnius vno.
Ecce etiam tenues fluitans quæ fiſtula nuper
Eiaculatur aquas, purum iam fudit Iacchum.
Deinde domus paries cuiuſq́ tapetibus altè
Velatur, viridis delectant floris odores,
Aſpectuſq́ ſimul venerandæ Principis auxit
Gaudia, mirificè plebis curſantis ab vna
In vicinam, & poſt alias aliaſq́ plateas,
Et mulcet varij carmen modulaminis aures.
Phœbus ad Occaſum vergens, iter aſpicit Annæ
Coniugis Henrici deductæ Regis ad aulam
Auguſtam, occiduæ Londini in parte locatam.
Poſtera lux oritur. Petri delubra petentes

Anna coronatur, quod nulli niſi regni hæredibus contingere ſolet.

Anglorum buſtis vbi humantur corpora Regum,
Heroes præeunt bini & longo ordine bini
Vt domus ampla petit, natalis & exigit ordo,
Hos fecialis ab his ſerie diſponit honoris
Quemq́; ſua, & ſocij paludamenta gerentes
Solennem ſpecie pompam regaliter ornant.
Poſt Satrapas, albis camerata petorita bigis
Reginam oſtendunt populo, ſplendentibus oſtro
Veſtibus, inſertis gemmis, adamante ſmaragdo:
Ore venuſtatis pleno, geſtuq́; decoro,
Heroinarum cœtu comitata ſuarum
Ingreditur templum ſupplex & numen adorat.
Hic mediis precibus capiti de more corona
Impoſita eſt illi, facit & pia vota ſacerdos,
Omnipotens beet vt fructum thalamumq́; recẽtem.
A templis Proceres ſacris rediêre peractis
Ad ſolenne epulum, ſed quò prius ordine cuncti.
Deſignator erat magnus Norfolcius Heros,
A cyathiſq́; fuit Comes Arundellius, ornat
Oxonium thalami præfectum nomen honoris
Attribuens, claræ ſtirpis pars catera læto
Fungitur officijs animo. Deponitur auro
Inſtratis menſis largè diffuſus Iacchus,
Porrectumq́; manu plena genus omne ciborum.
Hoc epulum regale remotis finijt hora
Lancibus, Heſperio cùm Sol conterminus orbi
Salſas Oceani feſtinat lambere lymphas.
Iret & ad Lybiæ gradibus declinibus oras.
Poſt epulum in reditu Reginæ perſtrepit aula

Thomas Dux Norfolciæ magnus Angliæ Mareſchallus.

Comes Arundellius.

Oxonij Comes magn' Angliæ Camerarius.

Epulum regale.

Principis Henrici, nitido sua gaudia vultu
Significans, nonies mutarat Cynthia vultus.
Instabat decimus post sacra ingalia mensis,
Virginis & nondum Phœbus percurrerat ora,
Fixus in intuitu cœlestis syderis, Hermes
Quod sibi ceu proprium gaudens habitacula sumit.
Litterulas Hermes & mores prouehit errans
Candidulos, notat ingenium super omnia fœlix.
Quòd si exaltatus cœlo sit Iupiter almæ
Coniunctus Veneri, Solq; his accedat amico
Aspectu, Deus ô bone, qui sic dirigis astra,
Vimq; addes adimensq;, vt feri tua sacra voluntas,
Fortunatus erit partus, regnabit honore
Auctus magnifico, spargit sua diues abundè
Dona, nec inueniet, dantis largitio fundum.
Præditus ingenio summo bene consulet, audax
Ad virtutis opus, nec abhorrens prælia Martis.
Efficit hoc Deus, haud planetæ cursibus intra
Empyrei cœli sphæras, quia numinis errant
Iussu planetæ, nam nil sine numine possunt,
Nilq; valent, sed in his Deus est, qui destinat horã
Natalis pro velle suo mortalibus, Author
Qui creat, vt reliquæ res, est planeta creatus.
Septembris (Deus hoc voluit) quæ septima lux est
Consecrata venit Domino voluentibus annis,
Parturijt coniux Henrici Principis Anna.
Vt dolor increuit, præscripto sedula nutrix
Perstat in officio, matronaq; nobilis instat
Auxilium latura suum, cùm pondus in auras

Septimo Septẽbris, videlicet die Dominico nascitur Elisabetha.

Maturum genitrix enixa purpurea languet,
Certa tamen veraq; salutis signa dabantur.
Postquam pulchellæ faciei prodijt infans
Compositis membris, speciosam vt cera liquescens
Fingitur in formam, populo mirante, periti
Artificis manibus: tensis ad sydera palmis
Fœmina conclamat senior, Benedicite Christo
Præsentes Domino, vos ô benedicite Christo,
Virgo beat matrem, Virgo modò nata patremq;
Britannos omnes posthac hæc virgo beabit,
Hæc sola est nostræ spes & solatia gentis.
Rex pater inuisit celeri sua gaudia passu
Matrem & filiolam, verbis solatus amicis
Languidam adhuc illam, carnisq; doloribus ægram.
Elisabetha baptizatur & confirmatur in fide.
Mox de Baptismo Satrapis mandata dabantur,
Præfuit ordinibus Dux quo Norfolcia gaudet,
Cui fuit in manibus candoris virgula miri.
Omnibus (vt iussum est) ad sacra lauacra paratis,
Molliter incedunt Duce conniuente Barones,
Regali passu post hos Comitesq; Ducesq;.
Clara Ducissa suis teneram portabat in vlnis
Infantem, totum velatam syndone corpus,
Et segmentatus super hanc fulgebat amictus
Exterior, serie cui limbus Iaspide longa
Spectantum splendore suo perstrinxit ocellos.
Heroina frequens sequitur, fidiq; ministri,
Obsequio ad nutum famulantur ad ostia Templi.
Londinensis adest hos inter Episcopus, albo
Indutus (de more) stola, numerosaq; turba

Mysta-

Mystarum: argento ex puro fluuiale lauacrum
Ponitur in baptisma, fidem sponsoribus vltrò
Dantibus, Elisabetha vt verum est insita membrũ
Corpori, habet Christum caput, hoc ecclesia corpus.
Cantia metropolin tenet, Archiepiscopus eius
Totius Albionis Primas, Norfolca Ducissa,
Marchionissa quoq; Exoniæ, pro infante ministro
Obseruaturam præcepta fidemq; Tonantis
Conspondent, paruæ cùm primùm adoleuerit ætas,
Virgo fide Domini mox confirmatur Iesu.
Tum Rex armorum tales vocalior edit
Ore sonos, viuat multos fœliciter annos
Elisabetha, diu proles patris inclyta viuat.
Et patre defuncto Britannis imperet hæres.
Acclamabat Amen populus, testudine fani
Quæ repetita ferit superas vox crebriùs auras,
Ætheris vt totus resonaret viculus ictu.
Hic Consponsores vitæ fœlicis vt omen
Infanti ex auro puro dant singula dona
Singuli, in his sculptæ magnorum antiquitùs arte
Effigies Regum, quibus edita Virgo triumphat.
Tres pateras primò portat Dudleius Heros;
(In reditu à templo nam portabantur apertæ
Dona manu claræ stirpis prælata virorum.)
Dona secunda leuat præclarus Houardius in altum
Crateras ternas: precioſi fulua metalli
Pocula, quæ sparsim baccis ornata rotundis,
Fitzwatere ferens recto ordine tertius ibat.
Vltimus & quartus Comes ô Vigornia vester

Consponsores Archiepisc. Cant. Norfolcia Ducissa, Marchionissa Exon.

Elisabetha per feciales regni hæres declaratur tubis succinentibus.

Consponsorum dona ex puro auro.

Ingreditur, cuius nitido graue pondus in aura
Calato sensere manus gestaminis ambæ.
Iamq; replebatur turbis redeuntibus aula
Principis, Heroes vultu sua gaudia produnt.
Heroina, hilares, hilares regniq; Dynastæ.
Cella vel ignotis patefit vinaria cunctis,
Omnes exhilarat curarum Bacchus abactor.
His ita confectis grates Rex omnibus egit,
Dimissitq; domum multos, at deserit ædes
Regales nunquam clari pars maxima cœtus,
Ex Satrapis, semper nutum famulatur ad omnem
E cunctis collecta locis generosa iuuentus.
Insuper vt fidum populus testetur amorem,
Iure Sacramenti se firmiter obligat Anglus
Prognatæ sese soboli ex vtroque parente
Post modò syncero semper fore corde fidelem,
In tota terra facit hoc non vnus at omnes.
Interea tenera crescens ætate puella
Gratia apud numen, ciuesq; adolescere cœpit.
Cùm primùm fando nôrat sermonibus vti,
Ingenij magni specimen, claræ indolis ædens
Admirari omnes sua verba coëgit in horas.
Sponte sua poscit libros arteq; doceri,
Vix elementa suis contemplabatur ocellis,
Nomen eorundem nisi ter præeunte magistro,
Tanquam edocta duos menses caliebat ad vnguem,
Iudicio varias citò discernente figuras.
Tantum profecit (debet res mira videri)
Regia perpaucis ediscens virgo diebus,

Angli omnes Sacramento obligant se futuros fideles Regis Henrici & Annæ soboli.

Egregia Elisabethæ Principis indoles.

Vt quiduis posset nullo legisse iuuante.
"Sic nil difficile est, res ardua nulla volenti,
"Virtutis studio grandem fallente laborem.
Delicium matris roseo virguncula vultu
Se fore Britannis columen spes auxerat amplas.
Linea quæ cæcas noctes æqualibus horis
Atque dies spacijs signatis noctibus æquat,
Absentem procul hinc solem transmiserat Arcton
Versus, inire suo signum cœleste paratum
Cursu, quæ domus est Veneris, (fert fama) diurna,
Ver aperit pulsa tunc terram grandine, cœlo
Frigus iners abigens, gremiũq; humoribus implens
Telluris, tunc ridet ager, tunc omnia vernant,
Tunc Philomela suo cantu modulisq; canoris
Nocte intempesta vigilantum recreat aures.
Tempus erat cùm grata quies mortalibus ægris
Induxit somnum, lassataq; membra fouebat,
Rex cubitum simul & discedit Regia coniux:
Ille suum thalamum, petit hæc penetrale propinquũ
Finitimo varijs fragranti floribus horto,
Et terit ingratas horas studiosa, libellos
Dum legit (à teneris nam sic consueuerat annis)
Ante sua obrepens, somnus quàm membra grauaret.
Ast vbi sic multam ad noctem vigilasset in alto
(Heroinarum de more) recondita strato,
Commendat precibus corpusq; animumq; Tonanti
Suppliciter fusis, alto q; deinde sopore
Obruta, perplacidè curarum oblita quieuit.
Iam transacta fuit nigræ pars altera noctis,

Descriptio verni temporis.

Somnium Annæ Reginæ quo admonita est se breui morituram.

Iam ſiluere canes, ſiluere homineſq́, feræq́,
Morpheus apparet ſub auito cognitus ore
Reginæ (multis iam meſſibus antè ſepultus)
Promiſſa barba, canus caput, atque ait, Anna.
(Quæ dormit tamen illa ſibi experrecta videtur)
Ne timeas magni Regis (mea filia) coniux,
En auus, en tuus hîc adſum, qui liber ab vllis
Mundi præſtigijs cœleſtibus aſto miniſtris,
Et fruor æterna vita, ſic viuere, verè eſt
Viuere, vita mori veſtra eſt: accingere (quæſo)
Acceleraq́ tuo cum ſanctis ſponſa venire
Chriſto, cœlum habitans ſuperas qui condidit arces.
Grex ſuus vt regnet ſecum, pax, gaudia vera,
Vera quies ibi ſunt, rerum mutatio nulla.
In terris quid honor valet? Aut quid gloria regum?
Quid tibi diuitiæ regales? byſſina veſtis?
Purpura quid prodeſſe poteſt? quid gẽma? quid auruũ?
Reddere num mentem meliorem? tollere morbum?

Omnia ſub Sole vana.

Num mortem caſúſue queant arcere moleſtos?
Omnia quæ terris inſunt, ſcito eſſe caduca:
Tu cœlum ſpecta, tu cœlica quærito regna,
Omnibus in Chriſtum credentibus iſta parantur.
Cur tecum loquar hæc, præſens attentius audi.
Inuidia infernis accitis anguibus orbem
Terrarum infeſtans Regum dominatur in aulis,
Et quo quiſq́ magis pius eſt. ſtudioſior æqui,
Charior & Regi, & quo quiſq́ potentior extat,
Sentiet à prauis ſe tantò odioſiùs iri
Dente Theonino roſum, quod fortè latenter

Fiet

Fiet & occultè, linguæ ne ſentiat ictum
Lœthalem, donec ſtamen trux Atropos occet,
Et vi Parcarum cœnum voluatur in imum.
Maximus Anglorum (ſcis) latis legibus Heros
Concilio in ſummo (myſtis orantibus illud
Et populo & Satrapis) comperta fraude doloq3.
Quem ficta ſemper pietate tetenderat effrons,
Mandauit, ne Papa ſuo quid iuris haberet
In regno, neu ſint eius diplomata poſt huc
Miſſa, lucro quorum Præſul diteſcere poſſet.
Rex ergò ditione ſua prudentior illum
Expulit, aſt eius fautor non rarus in Aula
Reſtat adhuc, metuit q3, diu ne fraus malè tecta
(Proh ſcelus) in ſpeciem iam tandē erumpat apertā
Ne ſibi ſit (Chriſti populo, per ſpecula multa
Decepto) grandi pietas ſimulata pudori:
Principe te metuunt miſeram florente ruinam,
Te ſi ſuſtulerint iuuenem crudelia fata,
(Nāq3 id agit pars praua) canent pleno ore triūphos,
Credentes vltrà nihil impendere pericli.
Attamen aerio non bis prius æthere Titan
Conficiet curſum, q3 Rex ſimulachra deorum
Lignea (præſtigias Papæ raſaq3 caterua)
Funditùs è templo conſumptis auferet igne
Flammato trabibus, conſtinget ſaxea duro
Saxo, tota domus purgabitur area Chriſti,
Intrà veſtrates ô fœlix Anglia fines,
Promulgante ſuum Princeps præcone cauebit
Edictum, ne quis ſtatuas malè ſanus adoret.

Vaticinium de Henrico Rege & de ſua ſobole. Idola è templis ſublata ex iuſſu Henrici.

Hæc

Hæc non aſpicies fieri miranda ſuperſtes.
At fax inuecti Romano à præſule vaſis
Non niſi poſt mortem Henrici eijcietur ab Anglis
In Romam, vnde fluens primis è fontibus hauſta eſt.
Tum puer eximiæ virtutis, criminis inſons,
Reſtitutio veræ religionis per Eduar. regem.
Reſtituet (diues etiam dilectus) Ieſu
Dogmata, ſpurcitie lateri quæ prorſus adhæſit
Relligionis, vt obrepens hedera incubat vlmo
Abraſa, peſſumq; ibit ſex amplius annis
Vana ſuperſtitio gentis, fœdiſſimus error.
Optimus hũc iuuenem Deus antè vocabit ad aſtra,
Tramitis à recto quam fallax gloria mundi
Seducat, ſtimuliſq; ſuis caro, peſſimus hoſtis
Irritamentis tetris Acheronta ſub imum
Particulam peccans diuinæ merſerit aurę.
Finiet imperium pueri huius ſeptima meſſis.
Mariæ imperium.
Nupta viro poſthac mulier dominabitur Anglis
Accerſens Papam, regio iſta relapſa retrorſum
Ficta colet ſimulachra Deũm, Papalia iura,
Si quis vel mutire Dei reuerentior auſit,
Materna aut lingua ſacrata volumina voluat,
Antiphraſis
*Aut ex hijs doceat quantum * caput orbis aberret*
A vero, Præſul pompa Romanus inani
Suffultus, ius vt diuinis legibus æquet
Ipſe ſuum, ſtructo reus ille cremabitur igne.
Dura leuis flammis fient puluiſculus oſſa.
Elizabetha regnabit.
Ecce malis tantis tua parua medebitur infans,
Iamq; tenella geret pòſt ſceptrum patris adulta,
Solamen magnum patriæ, ſolamen amicis:

Qua

Qua regnante diu, cœlis ea fata feruntur
Britanni populus fœlix, erit Anglia fœlix, Pax Angliæ
Et longa tali sub principe pace fruetur.
Mercibus Indorum diteſcent vndique ciues,
Papa relegatus fallax ad littora Tybris
Ausonij, propria ditione iubebitur eſſe
Contentus, vœnumq; domi protrudere merces.
Hic iuris Papalis erit tum terminus Anglis.
Veſtra dabit proles Papæ immedicabile vulnus,
Non pòſt idolis genua incuruare licebit
Amplius, aut ſtatuis benè olentia thura cremare.
Hinc Papæ incaſſum furibunda mouebitur ira,
Dentibus infrendens & quæret tollere prolem
[illegible] inſidijs ſtructis, quæ numine cœli
Protectore ſuo ſemotis hoſtibus æuum
Pace colet, ſeros ornabit honoribus annos,
Pace ſuos placida ciues, ſua regna beabit.
Non tamen in claram bacchari deſinet atrox
Reginam, pus ore vomens & virus vt aſpis,
Promittet cœlum verbis, (quis crederet illud?)
Principis obſequium quicunque reliquerit vltrò,
Cùm pacto hoc miſeros reuera in Tartara mittat.
Qui regnat ſummis illam tutabitur aſtris,
Nobile fœminei ſexus feret vnica nomen
Eliſabetha ſoli moderatrix magna Britanni.
Tu mea progenies fatis fœlicibus impar
Filiola in terra, melioribus vtere fatis:
Numinis arbitrio Deus (vt lubet) omnia vertens,
Te è medijs mundi pompis, & honore vocabit

Mun-

Mundano, ſacri ſubitò ad conſortia cœtus,
Nullæ vbi ſunt lacrymæ, ſedà quæ neq; dicere lingua
Nouit, non hominum ſub cœlis audijt auris
Gaudia, merx ſuluis non commutanda metallis.
Forti ſis animo, triſtis ſi nuncius adſum;
Inſperata tuæ velox necis aduenit hora,
Annæ mors prædicitur Pla. in Phe. Socrates tale quiddam ſomiauit.
Intra triginta ſpacium moriere dierum.
Hoc magnum mortis ſolamen habeto futuræ,
Eliſabetha ſuis præclarè filia geſtis
Nomen ad aſtra feret patris, matriſq; ſuumq;.
Dixerat, & citus in tenues euanuit auras.
Principis extemplò ſoluuntur membra timore;
Atq; diu pugnat ſecum, pugnando ſoporem
Excutit, accurrunt moti clamore miniſtri
Sedulò quærentes, quid ita experrecta paueret.
Illa tacens teneros circumfert triſtis ocellos.
Tandem, vos narrate mihi, ſi quis fuit (inquit)
Ante thorũ noſtrũ, (vigiles namq; vndiq; ſtipant
Reginam & Regem veteri de more Britannũm
Dum ſopor altus eos habeat,) referentibus illic
Nullius auditam vocem, ſpeciemúe ſtetiſſe
Viſam, tum magis his verbis exterrita, dixit,
O miſerere mei Deus optime maxime, parce
Ancillæ, clemens ſeruæ peccata remitte.
Hæc ſecum tacitè, conuerſo corpore fatur.
Aſtantes Dominas (nam magna frequentia circum
Nobilium ſteterat) iubeo vos craſtina dum ſit
Orta dies, rurſum veſtris requieſcere ſtratis.
Pars matronarum longo prudentior vſu,

Non

Non procul à stratis Reginæ mollibus Annæ
Considet, observans quid poscat, quid velit, aut quid
Imperet: in nitidis iam longa silentia tectis.
Princeps nil loquitur, sed secum multa volutans
Mente sua, ex cunctis retulit sua somnia nulli.
Iamq; dies aderat curas quæ demit edaces,
Exhilarat cùm corda hominum sua lumina Phœbus
Emittens, ægros mœstosq; ad ludicra suadet.
Sola nec egreditur thalamo Britannica Princeps,
Nec foris incedit nymphis comitantibus ipsam
Vt priùs, indulgens nimiùm tristata dolori.
Ah sors crudelis, mœrori laxat habenas.
Hoc vbi in Henrici narrarat certior aula
Nuntius, Heroes vultum demittere tristes,
Et famuli herorum tristes, Rex denique tristis
Reginam iuuisit, mœstam blando ore salutans.
Cùm non blanditijs tamen expiscatur acerbi
Mœroris causam, lachrymis se auertit obortis.
Ipsa dies quandoq; leuat cunctando dolorem, "
Spicula vulnificæ curæ quandoq; retundit. "
Illustris Princeps vbi rem perpenderat omnem
Altiùs, atq; memor demùm illa pericla ferenda, "
Non ea (siqua nequis cautus vitare) dolenda, "
Post aliquot speciosa dies prodibat amictu
Regali, & viridi meditans spaciatur in horto.
Accedens matrona potens tum fortè petebat
Nescio quid flexis genibus, prognata parentum
Stemmate magnifico, cuius cernebat amorem
Sincerum, summamq; fidem perspexerat antè

Multis

Multis in rebus, prior ô fidissima nostri
(Dixit) primum hoc est, sunt præmia tuta silenti,
Mando tibi cuiquam ne nostra arcana recludas,
Nullus adest, solæ sumus, & data copia fandi,
(Fœminei almæ cohors sexus nam longius ibat)
Os aperit dictura, simul labra comprimit hærens,
Tandem ait. In stratis cùm me sopor altus haberet,
Testibus exclusis ancillis, mortuus olim
Heu nuper specie heu anus apparebat eadem,
Qua mihi, quam quando vitales carperet auras,
Notior ille fuit longo & sermone docebat
Mortem instare mihi venturo mense propinquam.
Nobilis hîc mulier lachrymas stupefacta profundẽs
Singultim dixit, Deus hoc auerterit omen,
Turbati mera ne cures figmenta cerebri,
Quicquid id est quod te macerauerit, exime menti.
Ex animo læto floreſcens pullulat ætas:
Ante diem cordis venas dolor enecat angens
Constringensq; suo præcordia forcipe tundit.
Anglorum intereà monet aduentare Monarcham
Prætexta ornatus venerabilis assecla Regis,
Vt se oblectaret spacioſis splendidius hortis.
Anna volens mentis mœrorem fando fidelis
Egerere in gremium socia, memor ordine pandit
Phasma suum, in patria quæ sunt oracula diuûm
Commoda, declarat nonnulla propagine Regis,
Quæ ventura forent, rogat & ne futilis esset,
Vtq; fidem gnatæ præstet, qua paruula posset
Post olim de se benè compensare merendo.

Anna Regina somnii suum narrat prænobili matronæ.

Tum

Tum Regi coniux venienti inclinat honoris
Causa, cui miri Princeps ostendit amoris
Argumenta sui, graduuntur passibus ambo
Æquatis, plebiq; dabant spectacula lata.
Sol Veneris signum transuerat axe diurnum
Æthereo, paucosq; gradus in sydere iuncto
Fixerat, Anna breui mercatur morte perennem
Vitam, depulsis cœlestia gaudia curis.
Discite vos viui, quid dira calumnia possit, „
Inuidia alterius vitæ comes arcta beatæ, „
Et falsis linguæ commista venena susurris. „
Religio cultusq; Dei verissimus, altè
Submersus tanquam candens sub puluere pruna,
Extulit orbe caput nostro geniale sub Anna
Principe, quæ manibus plenis tribuebat egenis
Munera quoq; die, claudos cœcosq; fouebat.
Vos viduæ tristes illam sensistis ademptam
Ante diem, charis pueri vos patribus orbi.
Ducit Ioannam Semetri semine cretam
Vxorem Henricus, quibus orta est mascula proles
Indolis egregiæ puer ingenuiq; pudoris.
Pieridûm fuit hic sacrarum verus alumnus:
Infanti consors soror Elizabetha dabatur:
Matre sua primis annis orbatus vterque.
Henrici fuit at vigilans ea cura parentis,
His vt præficeret studiosior arte magistros
Eximia, certisq; dies diuiditur horis,

Laus Annæ ab eleemosynis.

Excultos libros ſolis cum lumine poſcunt,
Nunc hoc, nunc illud puer & pia virgo ſtudebant:
Mentibus amborum primò inſtillatur Ieſus,
Vita, ſalus vera, & via recta timentibus ipſum:
Scriptorum poſt hoc veterum ciuilis in vſum
Dogma magiſterij, deinde artes principe digne.
Cognitio accreuit rerum magis, ingeniumq3
Mirificè excultum charos facit eſſe Monarcha
Henrico, cunctis ſatrapis, populoq3 Britanno.
Eliſabetha prait ternis propè grandior annis,
Inferior ſexu, qui ſed maturior æuo
Sic vt ab inuidia laudemq3 decuſq3 pararet,
Æmulus & frater praeuntis honore coactus
Acriùs ad veram virtutem calcar haberet,
Ceſſat, agitq3 aliud: tenerae nuuc byſſina veſtis
Illi eſt in manibus, digitis quam mollibus aptans
Pingit acu, flauae ſpectans opus eſſe Mineruae
Diceret, inſerto lymbis variantibus auro,
Nunc ſeſe exercet (ſumpta teſtudine) chordis
Pluribus aut paucis, artis diateſſaron adens.
Vix variaret auis voces philomela reciſas
In tot diuideret q3 tomos, quot pollice pulchro
Contactu & facili digitorum virgo tenella
Eliceret, tantam cunctis mirantibus artem.
Siue parata illis inſtructis prandia menſis
Apponebantur, ſemotis porticus eſcis
Siue teneret eos, redolens ſeù floribus hortus,
De virtute fuit, de relligione, ſophorum
De dictis olim ſapienter ſemper in ore

Sermo

Sermo pius, sermo verax, certissimus index
Pectoris à praua peccati labe remoti.
Arte Palemonia tantùm profecit vterque.
Et soror & frater, iam sic sua Græca Latinis
Iunxerat, exiguo spacio vt legisse libellos
Vel semel, est nodis intellexisse reclusis:
Totius immensi merito vt puer vnicus orbis
Iure vocaretur Phœnix, virgo, altera Pallas.

Eduardus & Elizabetha vtriusque literaturæ periti.

Interea à genitor mortem grandæuus obibat
Henricus, quantum luctus quæ mentibus Anglûm
Inseuit, tantum studium Rex paruus ouandi
Omnibus infundens variis ad gaudia ludis
Inuitat (clauo clauum pellente) Britannos.
Elisabetha capit patre legatore quotannis
Amplos prouentus, vectigal principe dignum,
Excelsasq; domos, argenti pondera & auri.
Rure igitur procul a celebri se continet vrbe
Sola, Gubernatrice sua comitata, verendæ
Quæ maiestatis præclaræ & fœmina stirpis
Semper adherebat lateri præeuntis alumnæ,
Multa monens pro re nata, compluribus hortans
Consilijs, fido suasuq; quid vtile, quid non.

Henricus 8. moritur.

Eduardus sextus regnat & coronatur. 1546.

Iam decimo ætatis quartum vix iunxerat annũ,
Et poterat matura viro pia virgo videri:
Ecce venit magno stipatus auunculus alter
Principis Eduardi famulatu ad virginis ædes,
Et teneram Satrapas multa ambitione procatur.
Virginis extemplò pudibundæ obsurduit auris,
Nec quid Hymen vellet, peterétue vxorius Heros

Attenta est, votiq; procus dimittitur impos.
Ille iterum multis variisq; rogatibus instat,
Donec respondens matronæ interprete lingua,
Frustrà commonuit moliri hoc regia proles,
Maturè melius tantis desistere cœptis.
Altiùs infixum menti immotumque sedere
Virgineæ, sese thalamo sociare iugali
Ne velit Heroûm cuiquam, memorem esse parentis
Magnanimi, vnde sata est, cuius sit filia Regis.
Quis tantam vim animi illius, cui mollior ætas
Non admiretur? genus alto à sanguine Regum
Quis non suspiceret? generosaq; pectora parua
Principis, oblati thalami fugientia tædam?
Ergò suis rarò tectorum mœnibus exit.
Nec fratrem inuisit regnantem, rarior vrbem
Ingrediens celebrem, grauibus nisi fortè vocata
De causis: Regi vultu tunc reddit honorem
Composito, coràm præsens dicitq; salutem
Moxq; suum accelerans iter ad sua tecta reuerti
Maturat, locus hanc latos, qui prospicit agros
Fontibus & fluuijs vicinior, arbore quercu,
Et tilia tremulis foliis, mons consitus ornis,
Delectatque sonis diuersa sonantibus ædon.
Et turdus procul è caueis vepreta frequentans.
Hic studijs intenta suis quæ ornare creatam
Magno Rege sua poterant cum laude & amore
Cunctorum, summi hij, medij aut imi ordinis essent
Regia virgo suæ transegit tempora vitæ,
Defuncto vita patri post iussa soluta,

In quibus æthereo cœlestia signa refixa
Phœbe polo vice visus eras percurrere sexta,
Preteruectus equis calidum spirantibus ignem.
Interdum queritur sine principe patre relictam
Se solam, flocci mundi ludibria pendens,
Pars hominum maior quæ demiratur & optat,
Immiscens sese stultè ciuilibus vndis,
Cùm tutò possent intra sua tecta latere.
Rursum animos saluo germano Principe tollit,
Inscia ventura quæ cœlitùs est data sortis,
Sumptibus vt magnis aleret Regalia tecta.
Grandibus vt nolens interfit cœtibus olim.
Septimus Eduardum iuuenem nece sustulit annus
Præpropera, decus Anglorum gentisq; Britannæ.
At Maria Eduardi regni succedit habenis, 1553.
Confirmans iterum regno Papalia iura,
Consilioq; nouas leges sancire vocato
Molitur, latas à fratre perosa priores.
Vncta oleo furit hinc bacchantûm percita ritu
Turba sacerdotum, flammas & sanguine pascit.
Si quis erat pietatis amans, & Numinis almi
Cultor, ei rapidis torrentur viscera flammis.
Ast alij monitu superûm, (sic credere fas est)
Voci auscultantes Christi, fugiendo saluti
Consuluêre suæ, patria, patre, matre, relictis.
Quæ post Eduardi mortem conuersio rerum,
Transtulit in varias alieno pectore partes
Frutigenas, fauet hic externis ille perosus
Mystarum rabiem, tantis obstacula quærit

Opportuna malis: cùm iam proh dedecus ingens,
Seditio exoritur, regnorum peſſima peſtis:
Nunc iſtos, laſa nunc illos quæſtio torquet
Maieſtatis, habet multos cuſtodia clauſos
Firma viros, atro pars plurima deditur Orco.
Vlq; parum certa fidei Courtnaius Heros
Inſimulatur, eiq; dies in carcere certus
Dicitur incluſo, commota mente ſacerdos
Iracundus, atrox, & inexorabilis ardet,
Omnia tuta timens: odio quoque tenditur aeri
Suſpicio vehemens in te clariſſima Princeps
Eliſabetha, caputq; tuum: quòd vixeris inſons,
Quodq; animi candor culpa noxaq; remotus
Hactenus inuidiæ renitens hebetârit ocellos,
Ah liuore tumens ſacer obliuiſcitur ordo.
Implacata cohors ſpumante exaſtuat ira,
Furfuris eiuſdem donec cuſtodibus agna
(Arcebat Deus ipſe lupos) committitur arctis
Aſſeruanda locis, vi libertatis adempta.
Hæc intellectum diuinum affluctio lenis,
Pœna dabat lenis, nempe vt prudentior eſſet,
Multorum annorum quod longo quæritur vſu.
Triſtibus hæcq; tuum commiſta affluctio curis,
Prudentem faciebat auum, qui ſeptimus eius
Nominis Henricus, Salomon Rex dicitur alter.
Ac veluti grauitate reſurgens dactylus alta
Erigitur, magis & quo flatibus Æolus obſtat,
Altiùs arbor eo ramis ſe porrigit amplis:
Sic linguis virgo inclareſcit edacibus, & quam

Degrauat inuidiæ vis perniciosa, fidelis
Nobilitat mentis tollens ad sydera virtus.
Quid nisi quod purum est syncero in vase requirat?
Subtrahit & clam se multo sycophanta rubore »
Suffusus, serò prauos voluisse nocere »
Pœnitet insonti, fragiliq; illidere dentes »
Qui cupit, infringet solido, incisoribus asper. »
Ast commota animis intentos condolet æstus
Successisse parùm mystarum praua caterua,
Atque nouas technas in idonea tempora differt,
Promittens regnum sibi spe, si forsitan hæres
In casses optata refectos præda veniret.
Interea omnigenis tormentis effera turba
Admotis sæuit: tellus madefacta cruore
Christicolûm, regerit decursus sanguinis atros.
Heu carnem mollem puerorum deuorat ignis,
Fœmina masq; perit, nulla ratione virilis
Fœminei aut sexus habita: nam creditur hostis
Esse Dei, Papam si quis pius asserit hostem
Esse Dei, veros Christi qui tollit honores:
Nominat & nigrum visu fallaciter album
Deluso: talis commenta fascinus arte est,
Qualem non vnquam populi videre priores,
Corporis vt tactus, gustus quoq; torpeat omnis:
Hanc vim corporeis si demas sensibus, auris,
Cœlum oris, digitusue, in quem seruabitur vsum?
Heu vasta regio Britannica mersa Charybdi
Desperare suæ cœpit gemebunda saluti.
Ex improuiso donec cœleste misertum

Numen, terrarum nutu quod concutit orbem,
Ima altis rursum commiscens alta profundis,
Anglorum afflictis adhibet medicamina rebus.
Detracti celsaq; ruunt à sede potentes,
Latriam tribui qui mandauere polito
Ex ligno Idolis, statuíue ex ære coruſco.
Defunctam Mariam lugubri voce ſacerdos
Deflebat ſummis auſus vix hiſcere labris,
Qui paulo ante Dei debacchabatur in ipſum
Filiolum plangens (ſubmiſſo murmure) luget.
Non aliter quam ſi crepitante Ciconia roſtro
Ductorem βατεύχην crudeli vulnere tollat,
Tota ſilet vicina palus, vox ſtridula plebis
Voce coaxantes ranarum faucibus hæret:
Et metus erepti ducis omnes pectore reddit
Attonitos pauido: tantum eſt ductore carere.
Sublatis igitur Papæ fautricibus aliis,
Principe ſublata cuius pede firmior ibat,
Papa fugit Solio patris Regina locatur
Eliſabetha ſui, matri, ceu Morpheus ante
Dixerat in ſomnis, Lux hæc venerabilis Anglo,
Hæc eſt illa dies albo ſignanda lapillo,
Qua pia iure hæres virgo diadema paternum
Suſcipit, exhilarans Anglorum pectora mœſta,
Septima quæ decimæ lux eſt coniuncta Nouembris,
Omnibus vt fœlix, ſemper celebrabitur Anglis.
Qua pompa Princeps audita morte ſororis,
Ad Londinenſem turrim ſit ducta cateruis
Et turmis equitum, ſene concurrente, viriſq;

Et

Et pueris, & heris, ancillis, virginibusq́;
Non mihi si centum sint ora sonantia linguis,
Si musæ ingenium totumq́; Helicona dedissent,
Gaudia persequerer, plenis quibus Anglia vicis
Perstrepuit, pagusq́; omnis quibus ignibus arsit
Circuitu toto regni, quæ plurima signa
Lætitiæ immensæ per compita lata dabantur.
Quid referam populi concursus arcta viarum
Densantis, voces media clamantis in vrbe
Londino, viuat patris vnica gnata superstes,
Henrici viuat virgo pia principis hæres,
Imperiteq́; suis Princeps longæua Britannis
Elisabetha diu, victrix domito hoste triumphet,
Cui rosa rubra domus decus est regalis & alba.
Splendida solennis mox fit celebratio pompæ.
Heroes, Satrapæ, magnates, atq; Dynastæ,
Officijs adsunt omnes solennibus, ostro
Ornati, quibus est Princeps gestura coronam
Ex auro nitidam, quibus est actura Tonanti
(Cui cœlum sedes) ex toto pectore grates.
Ad Petri fanum peruenit Regia virgo,
Turba preces fundit, simul Elisabetha precatur,
Imposita est capiti, gemmis inserta corona.
Vota facit populus, facit & pia vota sacerdos,
Vt fœlix faustumq́; Deus velit esse regenti
Omne quod incipiat, conatus Principis omnes
Promoueat, Deus esse velit conaminis author.
Omnibus ex solito sacrorum more peractis,
Finitoq́; epula regali, mentio facta

De regni rebus, de cultu numinis almi
Restaurando iterum, qui spurca labe repletus
Corruerat, sordet ceu nigra ærugine ferrum.
Solertem princeps attenta mente Senatum
Sistit, & ex toto est indicta gerousia regno.
Religio ante alias res, dein respublica curæ
Omnibus. Extemplo patefit diuina voluntas,
(Antè latens) trito vulgi sermone Britannis.
Distribuit princeps doctis & munia dignis
Præsulibus, lingua qui disseruêre diserta
Contra oppugnantes orandum idiomate noto,
Atq; Deo summo qua sunt optanda, petenda.
Vulgari lingua, quam quisq; intelligit, illud
Esse quod edoctus Paulus vehementior effert,
Arguit, inculcat, mortale valere precando
Nil genus, accedens nisi cor consentiat ori.
Electis paleis purgatur vt ærea multo
Vsq; laborantis serui sudore, reuulsis
Vt nitet ampla domus quas struxit aranea telis:
Sic priùs idolis confractis, templa fricantur
Cuncta scopis, quicquid fuit, abradentibus vncis
Dentibus obscœnum, spurcum, verbonè repugnans
Sacro, religioq; erectis cultior ibat
Iam pedibus, Christusq; Dei cognoscitur agnus,
Offensas delens mundi, peccataq; tollens:
Vœnalis populo non indulgentia Papæ.
Rectiùs vt rebus (voluit sic ordo) sacratis
Consuleret cultumq; tuum stabiliret Iesu,
Vt regno atq; sibi princeps prudenter agendo

Assertores huius propositionis, Ed. Grynd. Episc. Can. D. Sands Episc. Ebor. Rob. Horn. Ep Wint. Io. Scory Episc. Heref. R. Cox. Eli. I. lewel. Sar. Io Elmer. Episc. Lond. D. Whithed Epis Vigor. E. Gest. Sar.

Prospi-

Prospiceret (nec erat factum hoc sine numine sacro)
Ex cunctis paucos melioribus eligit acri
Iudicio, quibus est vsu prudentia longo
Collecta, ingenium quorum doctrina polivit,
Nominis aterni quibus inclarescere fulcris
Anglia fœminei sexus sub Principe cœpit.

Ecce à consilijs Bacon Eques aureus, alti
Et magni ingenij, cui multa scientia legum,
Sapè notata etiam celebri facundia cœtu
Nominis attraxit splendorem, mortuus vt iam
Viuat, splendescatq; eius post funera virtus,
Nomophilax summus, magni custosq; sigilli.

Nicolaus Bacon Angliæ magni sigilli Custos.

Cuius honorificam sedem Bromlæius Heros
Occupat, & tanto dignus censetur honore,
Iudice Regina, præclaro iudice cœtu
Nobilium, leges trutina qui ponderat æqua,
De summo tollens iure, vt rectumq; bonumq;
Emergat, mediam sedem virtute tenente.

T. Bromlæus Angliæ Cancellarius.

Deinde locum cœpit Wintonia, Marchio vester,
A conseruando thesauro claruit ille
Principis, in regno hoc multa grauitate verendus
Paulò post fatis concessit grandior æuo.

Guliel. Pauletus. Marchio Wynton.

Ante alios istosq; omnes reflante sinistra
Fortuna, cuius princeps instante periclo
Est experta fidem syncero corde profectam,
Primus adest, ducens fidos Cicillius Heros
Complures secum, ac in sacrum voce Senatum
Principis eligitur primus, nunc grandior æuo,
Confectus senio, studijs maceratus, & ager

Dynasta Cicillius magnus Angliæ thesaurarius.

Sapè

Sapè ſuis pedibus grauiora negotia canos
Ante diem accerſunt crines, curuámq; ſenectam.
Qui quater eſt decimus vix tunc expleuerat annũ,
Somni perparcus, parcè viniq; cibiq;
In menſa ſumens, ſemper grauis atq; modeſtus,
Nulliuſq; ioci: ſemper ſermone retractat
Seria, ſiue ſilet meditatur ſeria ſemper,
Relligionis amans vera, ſtudioſior aqui,
Ad magnas natus res noſtra ætate gerendas.
In patriam cuius ſtudium, propenſa voluntas
In ciues, amor atq; fides in ſceptra tenentem,
In magnis regni ſolers ſapientia rebus,
Vltra Europam illi peperit memorabile nomen.
Nec iam conſilijs pollens floreſcere primo
Cœpit, in Eduardi defuncti claruit aula
Regis, conſultor prudens iuuenilibus annis.
Inter primores regionis quando procellis
Exortis cautus ſtuduit ſedare tumultus:
Dumq; alij ſulco ſubſident gurgitis imo,
Et puppim feriunt ſtridenti flamine venti,
Prona ruit celeri lapſu pars vna deorſum,
Ipſe decus ſedemq; ſuam, nomenq; tuetur.
Quo pacto Maria prudens ſe geſſerit Anglis
Imperitante, foros velo obducente, quod alto
Pendebat malo, (magnis quia cedere præſtat
Fluminibus, contrà niti aut obſtare furori
Currenti, certum & parit exitiale periclum)
Denotat indicijs hominem apparentibus illum
Verè prudentem, medijs quod in hoſtibus annos.

Sex

Sex totos Cayphæ multum exoſuſq; cohorti
Degeret illæſus, per vicos, compita, & vrbem
Se oſtendens populo, cùm pars bona longius exul
Tempora contereret, Deus hunc ſeruauit in almæ
Principis obſequium noſtrisq; in commoda regni.
Regum Legatos orantes audiit aure
Attenta, reſponſa quibus dedit ore diſerto.
Neſtor conciliis qui nunc Burghleius Heros — Dominus Burghleius.
Syluis, prædiolis latis, & ab arce vocatur,
Et fiſci cuſtos ærariæ publica curat.
Cognoſcens cauſas ſummo (res digna relatu eſt)
Et ſtudio & cura lites ſecat ocyus, vt non
Præſtolans ſpacium bidui triduiue moretur,
Omnes exuperans hac laudis parte priores:
Ni poſcat plures magni res ponderis horas,
Nec queat exculpi longo ſine tempore verum.
Iure ſit hæc magni laus prima & vera Dynaſtæ.
Ex iſto numero Comes Arundellius Heros — Comes Arundellius.
Maximus, hoſpitij præfectus Principis vnus,
Penbrociq; Comes cum primis nobilis alter — Comes Pembrocenſis
Hoſpitij fuerat regalis vterque magiſter. — domus Regiæ ſeneſchalli.
O Clyntone tuæ conceſſa eſt Regia claſſis — Dominus Clynton
Tutelæ, totos ter denos circiter annos. — magnus Angliæ Admirallius &
Conſuluiſſe tribus nec & hæc tibi gloria parua — Comes Lincolnienſis.
Principibus, veterum Satraparum ſanguine clares,
Multa gerens pelago præclarè, multaq; terris.
Hunc decorat Comitem grandi Lincolnia faſtu.
Principis a cameris deſignabatur Houardus, — Guilielmus Houardus
Iracundus homo, ac leui clementior aura,

A duce

Cui patruus Dux & validus patruelis erat Dux:
Comes Sussexius Camerarius. *Et terris senio confectum hunc curua senecta*
Sustulit: inq; suum venit Sussexius Heros
Deinde locum, Satrapas praclarus, fortis & audax.
Elisabetha tui specioſi corporis acer
Et ſidus cultos, diſcrimen adire paratus
Quodlibet, inuicto Mauortis pectore campo.
Idem Hiberniæ præfectus & Borealis Angliæ partis. *Cui victus perſæpè herbam porrexit Hibernus,*
Quem pugnis fulgens ornat victoria parta
Sanguineis, ſed laus huic maxima iudicis æqui.
Cùm Maria è vita princeps decederet Anglum,
Vulgo Hatfield. *Reginam tum fortè ſuis Petaſatus agellus*
Cum nymphis tenuit, ſtipante ſatellite corpus.
Robertus Dudlæus. *Aduolat huc ſubuectus equo Dudleius Heros,*
Cui color Hyberna ſimilis niuis, ardua cernix,
Pulcheili clunes, tergum pectuſq; decorum,
Qualis Alexandri toto celebratus in orbe
Bucephalus, qualis prognati Caſtoris ouo
(Vt fama eſt) ſonipes, ferus iſte per omnia talis
Calcibus inſultans ſublimes verberat auras.
Nam ritè edoctus puer à domitoribus artem
Eſt gauiſus equis ſuccuſſatoribus uti.
Huc poſtquam ventum, coràm & data copia fandi,
Procumbens genibus flexis reddebat honorem.
Hic iam Robertus Dudlæus, corpore pulchro
Proceroq; virens quem commendauerat ætas,
Magiſter equitum. *Principis ex iuſſu Satrapas equitumque magiſter*
Aſcriptus Dominam ſemper comitatur, equeſtre
Ingreditur quoties iter, inſeruitq; magiſtræ

Proxi-

Proximus â tergo, ſidus velut alter Achates.
Accipit atq; ſuæ virtutis præmia iuſta
Nomen honorificum, prouentus vbere terræ
Prælargos, magnas celſis cum turribus arces:
Quem lato Comitem dines Leiceſtria vultu — Comes Leceſtriæ.
Agnoſcit, meritò veneratur & Anglica tellus:
Quippe loco poſitus ſublimi, pectore miti,
Manſueto, ac humili, cunctis ſit amabilis Anglis.
Liuor & inuidia vibrantia ſpicula mentes
Multorum prana deturpant face veneni,
Hic eſt inuidia Satrapas alienus ab omni
Omnibus hic prodeſſe ſtudet, nec velle nocere — Lenitas animi & magnificentia Comitis Leiceſtrenſis magno Heroe digna.
Cùm poſſit, ſemper fuit illius hactenus ingens
Gloria: dat manibus plenis prolixiùs ampla
Xenia, ſtructa domus ſenibus teſtatur alendis
Varuici, teſtatur idem ſimul annua merces
Impenſis donata ſuis, Couentria teſtis
Eſto, ubi verba Dei ſacratus præco renarrat.
Vltrò accedit ad hos Comes, Huntingtonia clarũ — Comes Hũtingtonẽſis. Eboracenſis agri præfectus.
Cui tribuit nomen, famam Borealis adauxit
Præfectura ſoli qua longo tempore geſta
Conſilio multo, multa grauitate, fideq;
Egregiam ſibimet laudem quæſiuit, amorem
Principi & obſequium, pacem patriæ atque ſalutem.
Hic veterum libros ineunte ætate ſtudendo,
Qui Græcè ſophiam, vel qui ſcripſere Latinè
Voluit, colluſor puero poſt ſeria Regi — Eduardo regi condiſcipulus & colluſor.
Magnorum antiqua Regum de ſtirpe propago.
Præconem hic ſacrum Satrapas attentior audit,

Exprimit

Exprimit & vita morum pietate relucens.
Antiquo Comes à Varuico clarus in armis,
Stemmate conſpicuo magnorum clarus auorum,
Excelſo prorſus conſerta pectore pugna,
Contemptor mortis, potior cui gloria vita.
Bedfordiq́ Comes pietatis cultior & æqui
Relligione pius, Chriſti profeſſor Ieſu,
Munera qui miſeris donare aſſueſcit egenis.
Sunt à conſiliis Anglorum principis ambo.
Dynaſta Hunſdon Baruici præfectus. *Hiiſq́ Dynaſta potens Dominus prænobilis Hunſdõ*
Accedit, cuius fuerat matertera pulchra
Reginæ genitrix, Henrici nobilis vxor.
Quid cunctos memorẽ, ſupereſt tamen vnus, & ille
Vndique non minima memorandus laude parentum
Stemmate ab antiquo, ſed & illis clarior ipſe
Henricus Sydnæus. *Henricus Sydnæus, eques gemino ordine ſplendens,*
Quem ter Legatum Dominæ vice ſceptra tenentẽ,
Iuſq́ miniſtrantem iam vidit Hibernica tellus,
Nec vidit modò, ſed ſenſit, verita eſt, & amauit,
Vt nemo vnquam alius (vulgò notiſſima res eſt)
Intrârit maiori illas cum gentis amore,
Rexerit obſequio, luctuue reliquerit oras.
Sola nec illius teſtatur Hibernia laudes,
Verùm etiam Albionis pars altera Cambria, curſu
Interlabentis rapido diuiſa Sabrinæ,
Præfecti illius præconia grandia narrat.
Cuius præſidio iam multos tuta per annos
Floruit, vt dubium ſit, eo fœlicior almo
Præſide lætetur ne, an Iudice gaudeat æquo.

Iam-

Iampridem diues Legatum Gallia vidit.
(Eliſabetha)tuum,præſtanti corpore pulchrum.
Nec Pari nos capiet torpens obliuio veſtri, Thomas Pari.
Qui vel in aduerſis fidus conſultor agebas
(Quando tuam ad Dominã non dũ reuoluta corona
Eſt regni)famulum frugi,frugiq́ ministrum
Multorum inſidijs,male quas ſtruxêre recluſis.
In ſacrum electus cœtum hunc Norfolcius & Dux
Maturæ perit hic ætatis flore recedens.
Smithus & ingenio fœcundo literuliſq́ Thomas Smithus.
Omnigenis laudatus erat, qui conſuluiſſe
Nouerat,& rectè,atque probè,ſublatus iniquis
Parcarum fatis,paruâ requieſcit in vrna.
Franciſcus Knollus grege ſit numerandus in iſto, Franciſcus Knollus.
Conſtans atque grauis,vir relligioſus,& acer
Defenſor fidei,qui ne quid triſte videret,
Néue pios homines calido crudeliter igne
Torreri,myſtis nimium bacchantibus Anglis
Deſeruit natale ſolum,patriamq́ relinquens,
Inter Germanos externis maluit oris
Longius hinc mœrens ingratam ducere vitam
Atq́ mori,in templis quam ficta idola tueri
Nec reducem felix lætis vidiſſet ocellis
Anglia,nec multæ potuit poſſeſſio terræ
Huc reuocaſſe virum,niſi quod Regina loc
Eliſabetha patris ſolio diademate cincta
Regnaret,vinclo cui conſobrina propinqi
Franciſci coniux ad nutum ſeruijt omnem.
Huius maiores animi virtutibus antè

Annos tercentum pollebant corpore vasto,
Et forti intrepidoq́, simul, cùm tertius olim
Eduardus contra Gallos fera bella moueret,
Plurima præclarè tunc Knollus fortiter armis,
Plurima quæ poterunt valdè oblectare legentem
Annales nostros: generosa hinc orta propago
Floreſcens hodiè florere nepotibus horum
Et dedit atque dabit pietas si numina flectit
Longæui patris, si mens sibi conscia recti.

Ambrosius Cauus. Christopho rus Hatton.

Ambrosius Cauus sequitur: Dein splendidus
Ille satellitij Regalis Ductor ouanti (*Hatton,*
Pectore, Mœcenas studioſis, maximus alter
Et fautor veræ virtutis, munificusquè.
Quid referam dotes animi, quibus ille refulget?
Ingenij, si quis causam proponit acumen?
Quo pacto eloquitur, sacro auscultante senatu.
Dulciſono tanquam Suadela veniret ab ore
Dicentis, cunctis quo pacto semper amicus,
Magnanimus fortes foueat, non læserit vllum?

Radulphus Sadlerus. Gualterus Mildmaius.

Sadlerus calamo, sectis Mildmaius arithmis,
Artifices scuti, longo quos extulit vsu
Virtus, multarum viuax prudentia rerum
Lautaq́, res, suadent, dant consiliumq́, monentqúe.

Iacobus Croftus.

Officij exactor Regali in limine Crosius
Qui mediis stabat pugnis crudelibus olim,
Corpore nunc decorat præstanti principis aulam.

Franciscus Walsingha mus.

Reginæ in regni rebus librarius alter
Est Walsinghamus, legatus principis Anglûm
Parisijs degens, fieret cùm maxima cædes,

San-

Sanguinis innocui cùm facta effusio magna est.
Vir pius, excelsoq; animo, vt muneris emptus
Nulla, qui nulla potis est corrumpier arte.
Fœlix qui loquitur supplex cum numine sacro,
Sed tacitè, mox post indutas corpore vestes,
Auspicium sumens cuiusque precando diei.
O vtinam multi similes huic Regibus essent
Sacratis à consilijs, respublica fausta
Tunc foret, & verè tunc aurea secla redirent.
Commendatus item varijs virtutibus alter
Wilsonus, dudum vita migrauit ab ista. D. Wilsonus.
Vtitur his princeps, est consultoribus vsa
Iampridem, quid enim rectè fit, quid benè sanus
Consilium dubia si spernas vtile mente.
It sine consilijs pessum Respublica, quæ si
Iustitiæ trutina sacratæ & lancibus æquis
Pensiculata suum gratis dant cuique, beatos
Constituunt ciues & fœlix vndique regnum.
Altas ædificat solers sapientia turres,
Per quam traducunt Reges fœliciter ævum.
Pax viget his terris, & pleni copia cornu
Florigeris latè frugum diffunditur aruis.
Sic solet è cœlis dominus benedicere genti,
Sic benè fit populo & terræ quæ numen honorat:
Pectore quæ toto Iouem timet omnipotentem,
Et sapit in domino, namq; hæc sapientia vera est
Scire deum, gnatumq; suum, quem misit Iesum
In mundum hunc, à delictis vt purget opertis
Credentes in eum nigranti liberat orco.

O natale ſolum ſapias precor Anglia parte hac,
Vt gratè agnoſcas Iouis benefacta potentis
Omnia, & vt ſemper des grato pectore grates,
Quid maius meliúſue dari mortalibus optes?
En dedit affectam diuina mente magiſtram
Imperij, quæ cùm docta, ingenioſa ſeuera,
Et mitis, veneranda, pudica, animoſa, verenda,
Sceptra manu tenera moderetur, commoda Princeps
Tot tibi contulerit, quot Regum nemo priorum,
Vt quæ vera Dei ſit, religione fruare.

Pax Angliæ per xxiij. annos.

Tres & viginti gaudentes pace Britanni
Annos tranquilla, terraq́ marique vagentur
Immunes damni quod fert lachrymabile bellum.
Nec pacis ſtudioſa domi ſolummodò ciues
Tutata eſt, voluit toto conamine mentis
Atque voluntatis propenſæ inhibere furores
Externi populi telo ſibi vulnus acuto
Infligentis, & in mortem ſub Marte ruentis
Horriſono, fratri cùm mutua vulnera frater,
Vicino dirum lœthum cùm proximus infert.
Velle hominũ eſt præuertentis ſub Numinis vmbra,
Perficit at re velle ſuum ſine Numine nemo,
Quod pars fortè hominum grauiore meretur iniqua
Supplicio plecti, latet aut hac cognita ſoli
Cauſa Deo mundi moderanti cuncta ſuopte
Arbitrio, cuiusq́ opus alti machina cœli.

Multiplex Eliſabethæ virtus.

Nobilis & præſtans eſt ignoſcentia virtus,
Hæc quanquam potis eſt, ſi vult, excelſior & vis
Mentis ineſt, iram ſtrictis compeſcit habenis,

Delictis

Delictis mulctam grauibus quandoq; remittens.
Hoc priuata prius nondum diademate ſumpto
Fecerat, hoc facit & Princeps diademate ſumpto.
Illata eſt vehemens à magno iniuria Rege,
Qui multas calido ſpes concipiebat opimas
Pectore, bile tumens alienæ rapacior acri
Attraxit, ſi pace mihi fas vera fateri
Magnanimi Regis, contra præcepta tonantis,
Alterius quod iuris erat cupiebat auarus,
Perſoluitq; ſuo mox dignam crimine pœnam,
Mulctatus medio mortis mercede triumpho.
Eliſabetha domi conſedit neſcia facti.
Quis propugnator noſtra pro Principe tanta
Confecit ſubitò celeri miracula nutu?
Quis cauſam regni tanto defendit ab hoſte.
Quis? niſi qui cœlum, terras & temperat æquor.
Quid nurus extincto dilecti patre mariti,
Aggreſſuſq; noui trux eius auunculus autor, 1560.
In Scotiam mittens Hyberno ſydere Gallos
Complures, ſæuo pars quorum turbine merſa
Fluctibus in mediis magni tentaminis aſprum
Neſcijt euentum, vallo pars cætera clauſa,
Et foſſis Lythæ in gremio mutare coacta
Quas cœpit ſedes, in veſtros Gallia fines
Auehitur, proprias repetens per dedecus oras.
Externo Deus hanc vt defendebat ab hoſte
Reginam noſtram, ſic nullo ſanguine fuſo, Deus pugnat pro Eliſabetha.
Ecce domi noſtra poſt hæc pro Principe pugnans
Iſtius regni Boreali in parte morantes

Dignatus fuerat ciues ſuperare rebelles.
Quos Varuicenſis Comes, & Suſſexius Heros
Perdomat, Houardus vir pugna clarus equeſtri
1569. *Incæpta, Scotiæ monteſq; fugauit ad altos,*
Carolus Houardus. *Serius accepto ſapit & piſcator ab ictu.*
Quid nulla dubianè fide lucratur Hybernus?
1580. *Peſtiferæ feruens qui ſeditionis amator,*
Aut ſyluis tegitur mediáue palude cubare
Aſſueſcit, ſocius non illius aduena ſtricto
Cogitur Herois Graij procumbere telo?
Dynaſta Graius. *Nauibus egreſſus aderas Winter e tuáſque*
G. Winterus. *Bombardas ſenſere ſuum proſcindere vallum*
Hiſpanus, Papæ & ſtipatus milite dux or.
Eliſabetha domi fœlici pace triumphat,
Spero, triumphabit quot Delbora rexerit annos,
Cui vitam ſtudiumq; Deus, regniq; coronam,
Perpetuet, beet, & tranquillo proſperet vſu.
Poſtquè hanc exactam vitam, ſtudium, atq; coronã,
Cœleſti vita, ſtudio, diademate donet.

Amen.

FINIS.

ALEXANDRINE-VILLI KETTVS,

Siue de furoribus Norfolciensium Ketto Duce

Liber vnus.

LONDINI,
Ex officina Henrici Binne-
mani Typographi.
Anno salutis humanæ.
1582.

Cum gratia & Priuilegio Regiæ
Maiestatis.

Typographus Lectori.

CVm septem ab hinc annis Alexander Neuillus (Generosus optimus atque de re literaria præclarè meritus) duos libros ediderit, venustos sanè atque opinione eorum qui iudicio valent valdè probandos: quorum alter Kettus *inscribitur, alter* Noruicus: *Kettum, cum propter argumenti similitudinem, tum propter latini sermonis puritatem atque elegantiam (nam politissimè scriptus censetur) huic libro coniungendum existimaui. Quapropter seorsim excudendum curaui, sperans vt nemini iniucundum, ita iuuentuti nostræ gratum imprimis, atque vtilem futurum. Vale (Lector amantissime) nostrisque tu causa susceptis laboribus ac impensis fave. Londini, ex ædibus meis.* 1582.

Libri poſt defunctum patronum editi, proſopopœia.

FLebile principium (ſi quid præſagia monſtrent)
Fortunæ auſpicium proſperioris habet.
Sed quid habent veri præſagia inania? quæué
Poſsit ab hoc tanto ſpes ſupereſſe malo?
Da (*Deus*) auſpicium ſignis melioribus oro:
Huic metuo diras omini ineſſe minas.
Haud facile optatum curſu contingit honorem,
Turpiter in primo carcere lapſus equus.
Haud facile optati portus contingit arenas,
Infœlix patrijs merſa carina vadis.
Sed grauior fortuna mea eſt, & triſtius omen
Ante ferè erepta eſt, quàm data vita, mihi.
Ecce extrema mihi vixdum ſuperaddita lima,
Vix ſignita ſuis pagina prima typis:
Cum *decus* (heu dolor) ille ingens, *decus* occidit ingens,
Pars animæ, & vitæ magna columna meæ.
Fata queror noſtris nimium contraria rebus,
Syderaqué auſpicijs facta proterua meis.
Nam tua dum properant nimium, & mea fata morantur
Te mihi ſurripuit, (Spes mea) mequé tibi.
Infœlix ego quid merui? cur Poſthuma proles
Naſcor, & in ſeros differor vſque dies?
Aſt quia non tecum patiantur viuere fata:
O vtinam in tumulo dent latuiſſe tuo.

G. A.

Ad librum post defunctum patronum editum, Carmen Consolatorium.

NOn bene venales poscunt præconia merces.
Hædera laudatrix, vilia vina decet.
Cætera præsignes sibi quærant scripta patronos,
Claráque Magnatum nomina fronte gerant:
Nil opus ascitis titulis tibi, pone querelas,
In te præsidij est sátque superqué tibi.
Seu tibi diffidas, ἀνδρα tandem aspice Αλεξιν,
Is solet esse alijs is tibi Αλέξις erit.
Is pater est, idemqué simul pater, atque patronus,
Ille dedit vitam, & proteget ille tuam.
Insuper ex merito *Norfolcia* tota patrona est
Angliaq́ ex merito est tota patrona tibi.
Adde quod ex alijs, vitæ exemplaria priscæ,
Si quem delectent scripta, patronus erit.
Denique, si quis erit qui quid memorabile gesserit,
Vel non diffidat posse, patronus erit.
Neué aliquis desit: cuius nunc funera luges,
Ipse etiam inuita morte patronus erit.
Nam fera quod potuit diro mors abstulit vngue
Terræ quicquid erat, cætera non potuit.
Corpore nam posito fama est & honore superstes
(Quippe ab honore nihil mors violenta rapit.)
Corpore deposito viuit virtute superstes,
(De virtute nihil mors violenta rapit)
Corpore deposito mente est, animáque superstes,
(Sacra ex mente nihil mors violenta rapit.)
Ergo & honore suo, virtute & mente superstes:
Is tibi maiori parte patronus erit.

G. A.

Reuerendiſsimo in Chriſto patri D. Matthæo Cantuarienſi Archiepiſcopo, totius Angliæ *Primati ac Metropolitano*, ALEXANDER NEVILLVS.

DIVIVITVS contigiſſe puto (*Præſul ampliſſime*) vt quam Deus opt. max. amplitudini tuæ ſedem ac domicilium eſſe voluerit, eadem ſit etiam hoc difficilimo tẽpore mœrori meo ac ſolitudini perfugium. Nam cùm inſigni ac propè admirabili laude apud omnes bonos circumfluas, cumq; tibi ſummum dignitatis decus vniuerſi tribuant, & ſingularis cuiuſdam ſapientiæ atque conſtantiæ laudem impertiant, in his tantis moleſtijs, quibus vndiq; circumfuſus ſum, quid mihi accidere potuit, vel ad præſentis vitæ conditionem illuſtrius? vel ad præteriti temporis ſolatium iucundius? vel ad futuræ ætatis ſpem præſtantiùs? quam in domo tanti Pontificis, tanta virtute, facilitate, & morum elegantia redundan

tis assiduè uersari? Itaque sic afficiebar interdum, vt quoties istius rei mihi in mentem venisset (venit autem sæpissimè) toties omnes illæ curarum vndæ quæ in animo perpetuò efferuescebant meo (quasi mare ventis cessantibus) continuò deferbuerint. Et certè, dum nihil vndiq; nisi pudicum, nihil nisi pietatis, pudoris, ac continentiæ plenum intueor, fit, nescio quo pacto, vt desyderio acriori, ac multò (vt mihi videor) vehemẽtiùs incensо, ad illarum rerum imitationem inflammer. Accedit huc etiam, quod non plus opibus & potentia, quàm illustri humanitatis laude præcellas: neq; solùm eos, qui tibi famulantur, fortunis ac facultatibus iuues, verumetiam gratia, fauore, consilio, auctoritate, beneficentia sustentes.

Vnde adeò factum est, vt tacitam inconsideratæ temeritatis meæ reprehensionem nõ magnoperè pertimuerim, quod amplitudinem tuã his meis literulis tam fidenter affatus sim. Neque enim fieri potest, vt humilimum amplissimus, aut sui obseruãtissimũ humanissimus Põtifex aspernetur. Quapropter ardentissimis votis ac precibus obtestor, vt hos industriæ meæ flosculos verius quàm fructus, quos honori tuo obtulero (obsequij & amoris monumentum erga te mei) læta fronte ac benigna suscipias. Quod te facturum pro illa tua præstanti pietate, qua omnes omnium literatorum hominũ conatus, ac studia prosequeris magnoperè sanè confido.

Etenim labores hos meos quos in Ciuium Norimbergensium rebus gestis te auctore explicandis susce-

Am

Amplitudini tuæ consecrare decreui. Qua in re tũ cultus & obseruãtiæ in te meæ, tum mentis meritorum erga me tuorum non immemoris excusatione, tàm insciti labẽ quàm impudentiæ crimen deprecabor. Nam cùm tua me amplitudo ad scribendum potissimùm impulerit, & mihi (quod aiunt) currenti quasi calcar adhibuerit, inhumanum me esse certè oportebat & non solùm bonitatis tuæ oblitum verũ etiam officij prorsus immemorem mei, si tibi neque hortanti obsequerer, neque imperanti.

Præterea cum te tãta dignitate, consilio, prudẽtia, ætate, vigilantia, & (quod caput est) grauissimis plerumq; rei christianæ publicæ muneribus implicitũ Præsulem, ea semper mente præditum perspexerim, nullæ vt te vnquam cogitationes à præclarissimarũ disciplinarum studijs & Musarum veluti complexu abstrahere potuerint: dum omnia omniũ antiquorũ hominum monimenta scrutaris, omnium doctrinarũ ac disciplinarũ omnes libros exhauris: cumq; domi semper tuæ Academiam quasi quandam literatorũ hominum florentem animaduerterim, qui perpetuò præceptis adhortationibusq; inflãmati tuis, sui quotidiè fructus ingenij proferre cõsueuerint, profectò mihi nisi inertiæ nequitiæq; maculas inuri voluisse, aliquid tale præstandũ aut certè conãdũ fuit, in quo significatio saltem nonnulla industriæ meæ, ac volũtatis ostenderetur. Præsertìm cùm tu (vir talis ac tãtus) semper mihi & ad suscipiendam, & ad ingrediendam horum studiorum rationem auctor & princeps

exſtiteris. Videlicet in hanc cogitationem (prudentiſſime Pontifex) perpetuò incumbis, vt domi ſemper tuæ doctrinæ atque humanitatis ſtudia à cunctis celebrẽtur: maximaq; delectatione perfunderis quoties domeſticos tuos literis ac bonarum artium diſciplinis deditos conſpexeris: Soleſq; eos quos in familiam aſciſcis tuam, imprimis cohortari vt eruditionem ac pietatem ardenti deſiderio conſectentur.

Quæ quidem me impulerunt vt ego quoque mihi in iſtiuſmodi rebus pro virili parte elaborandũ ſtatuerim, non tam vt tibi gratificarer (quanquã quid eſt quod flagrantius exoptem?) quàm vt mihimetipſi prodeſſem, planumq; cunctis facerem quibus domi tuæ ſtudijs ac cogitationibus tempus traduxerim.

Feci itaque quod debui, & feci equidem non inuitus, vt onus illud quod tu mihi imponendum putâris alacri mente ſubierim. Quod ſi me quandoq; oppreſſerit (fieri enim non poteſt quin tanto impar oneri ſuſtinendo, ſæpenumerò ſuccumbam) tuæ erit humanitatis (Præſul optime) iacentẽ patrocinio ſubleuare tuo. Præſertim cùm dum tibi imperanti, & ad hanc me quæſtionem pertractandã crebriùs excitãti, non parere nefas eſſe duxerim, plus in me forſitan oneris quàm perferre potui receperim. Vtcunque erit, non patitur tua te tam excellens naturæ bonitas cuiuſquam indignitatem aſpernari, & ego is ſum qui cùm in præſtanti tua virtute ſpes meas omnes defixerim, nullius alterius indicium magnoperè reformidem.

Et

Et quanquam non defuturos quosdam ſuſpicor (vt ſunt nõnulli huius ætatis homines moroſi nimiùm & difficiles) qui mihi, neſcio quod temeritatis & imprudentiæ crimen inſtigent, tamen & aliorum exemplis me conſolabor, & tempora magis amica virtuti ſperabo, nec me fœlicẽ minus ſi probris onerarint, quàm ſi laudibus ornarint, exiſtimabo.

Alterum eſt genus hominũ eruditiſſimorũ atque in bonarum literarum diſciplinis aſſiduè verſantiũ, quibus ego magnoperè cupio ſtudium & induſtriam meam probari. Hij ſi fortè in ſcriptis noſtris pauca admodum (imò potiùs nulla) deprehenderint, quæ ſitim illam ſuam rerum præclariſſimarum inexplebilem reſtinguant, ſic habeant, cupiſſe me optima, præſtitiſſe mediocria, polliceri vberiora. Dent igitur tenuitati meæ & inopiæ veniam, ſciãtqué hæc quæ nos hijs libellulis aridè ſanè & ieiunè complexi ſumus, nõ ex Academicorum fontibus, ſed ex induſtriæ noſtræ riuulis profluxiſſe. Neq; porrò à me præreptã cuiquã, ſed potius omnibus præbitam ſcribendi anſam exiſtiment, ſi qui fortè poſthac, aut per ſe meliora indagauerint, aut accepta ab alijs perfectius ediderint: cũm nihil interim mihi magis vnquam in votis exſtiterit, quàm vt quæ inter ſcribendum, vel per incuriam omiſſa, vel per inſcitiã incognita exciderint, ea à peritiore tandẽ artifice plenius pertractentur.

Tu autem Præſul digniſſime, fauoris tui radios in hos teneros ingenij mei fœtus trãsfundere digneris, eoſq; patiare tui nominis amplitudine illuſtrari. Quã

sint imbecilles, quàm tenues, quàm nullarum virium vides, sine sanguine, sine succo, nullis neque religata ossibus, neq; neruis astricta. Lucem medius fidius perferre non poterunt, si non admirabilis tua bonitas illorum cœcitati clementiæ tuæ lumẽ prætulerit. Nihil erit mihi vel ad opem firmius, vel ad desiderium optabilius, vel ad nominis mei existimationem elegantius, quàm si tu mihi præsidio contra importunissimos maleuolorum hominũ impetus fuisse videbere. Qua quidem in re quantũ poteris non sum certè nescius (potes enim quantum vis) vt autem velis quãtum potes, es mihi per illam tuam incredibilem qua vincis penè omnes humanitatem vehementius obsecrandus. Nihil habet fortuna tua maius quàm vt possis, nec natura tua melius quàm vt velis, subsidio esse quamplurimis. Perge itaq; quod facis (Præsul amplissime) fauere bonis, odisse improbos, virtutem extollere, oppressis opitulari, eruditos tueri, præmijs amplificari. consilio, auxilio, misericordia subleuare. Nihil mihi crede magnificentiùs, nihil præclarius, nihil admirabiliùs, nihil neq; naturæ, neq; moribus tuis omni elegantia & suauitate perpolitis accommodatiùs. Hæ sunt veræ virtutes, dignæ summo viro, dignæ Pontifice, te verò viro optimo & Pontifice amplissimo dignissimæ.

Veruntamen non committam vt qui ad hãc scribendam epistolam vt tibi labores hos dicarem meos initio me contuli, nũc te hominem omnium sapientissimum, ad eas vitæ rationes horter & excitem, quas

ab

ab ineunte ætate perpetuò complexus es, ne aut insolens viderer si prudentissimum, aut impudens si præstantissimum, aut meæ conditionis oblitus, si illustrissimum admonere coner.

Itaq; finem scribendi faciã: illud tamen prius profitebor, quamuis vbiq; gentium existant multi, quos singularis tua bonitas liberalitate sua non leuiter cõsperserit, sed planè obruerit: mortalem tamen viuere neminem qui plus se tibi debere existimet quàm ego debeam, neminem qui id libẽtius præ se ferat & agnoscat, neminẽ deniq; qui si quando opus fuerit, tenuissimas vitæ suæ facultates pro dignitate tua alacriùs profuderit. Cuius voluntatis, ac officij seruitutem quo testatior omnibus esse posset, tibi posterisqué tuis harum literarum testimonio sempiterno abstrinxi.

Christus optimus maximus amplitudinem tuã nobis & christianæ Reipublicæ (cum summa semper dignitatis amplificatione) quàm diutissimè sospitem seruet, & incolumem.

Amplitudini tuæ deuotissimus,
Alexander Neuillus.

In

¶ *In obitum ampliſsimi Præſulis, Matthæi Parkeri Cantuar.*

Archiepiſcopi eiuſdem Alex. Neuylli Carmen.

SIc CONSTAT mortale nihil, ſic luminis oras
Quæ ſubeunt, abeunt: rapit (heu) rapit omnia tellus
Quæ peperit: refuguſqué vigor mortalibus æuum
Decurtat miſerum: dociles non parcere Parcæ
Sic occant nimium: ſic ſic abrupta beati
Stamina *Parkeri*, tantum dant flere miſello
Orbatoqué gregi, quantum bona commoda vitæ
Voluerat aureolus curſus, plebeſqué regendi
Gnarus amor, ſollerſqué, animus, fluidoſqué premendo
Mite ſupercilium, mens & lentando modeſta.
ET MEA quæ tanto viduata camæna patrono eſt,
Luget in abruptum: rurſus decidua fatis:
Rurſus inhorrendas mundi ſenſura procellas.
O benè cœlicolæ, tanto quod functus honore
Euicit linguaſqué hominum, nigraſqué loquelas,
Quas ſpargit numerus, quas ſacra inſania ructat:
ERGO IACE venerande heros: & murmure ſtulto
Inuidia maiorqué omni, fælixqué peracto
Obdormi ſtadio: nos hic tua facta ſonamus:
Te pleniqué, & amore tui: te flemus ademtum.
Te te magne pater nos hic veneramur, amamus,
Et tanti æternùm mirabimur acta magiſtri.

In

In hiſtoriam Alexandri Neuylli,

Hendecaſyllaba.

VIRBIVM ne putabis abs auara
Dimiſſum Styge? poſſe vel renaſci
Hoſpitem *Pithici?* vel enouari
Bis fata? ac iterum ſepulta reddi
Terræ corpora? quale fabuloſi
Solent fingere per iocum Poetæ
Monſtrum, quale vel impetu minore
Format *Pythagoras* renatus Orco.
Iurabis *Liuij, Saluſtiq́,*
Cæſariſq́, Demoſtheniſq́, Graij
Calores veteres adhuc vigere:
Tulliumquè, quietè *Tuſculana*,
Nouis ſedulò rebus occupatum.
Nempé, qui nouus exit hic libellus,
Neſcis, vtiliorué, dulciorué,
Verior, melior, Latiniorué,
Maior, purior, elegantiorué.
Vnus vt referat feré vniuerſos.
Sed nec numina fallier licebit,
Nec, quos cymba tulit, reuexit.
Exſpectas igitur, quis hos poliret
Libros? hiſtoriamqué tam eruditam?
Ille qui ſapienter æmulatus,
Quos ætas prior extulit, vel ipſos
Æquauit Zephyro ſecundiore.
Huc qui tranſtulit Atticos colores,
Romanumqué ſalem, decuſqué linguæ.
Cui cùm munera ſumma largiantur
Pelaſgi, Latijqué doctiores:

Nulli,

Nulli quid tamen vt ſuum repoſcunt.
Atqui vis propriùs videre quis ſit,
Eſt, dico, ſtudioſus omnis huius
Virtutis bene quæque ponderantis.
Hic quos longa premebat, inuidaqué
Nube condidit atra nox, recludit.
Faſtos, hiſtoriamqué cæciorem
Ornat luce decenter inſolenti.
Hic nobis patrios lares, domoſqué,
Auitoſqué focos, fecitqué nobis
Incunabula noſtra notiora.
Hunc ergo maneant (fauente fato,)
Sera ſæcula poſterûm nepotum:
Vt miſtus Rhetorum choro, iacentes
Terras deſpiciat volante fama.
Nos æui breuis, ac inerte vena
Ignoti, procul à foro remoti
Admirabimur hæc, ſilebimuſqué.

In

In Alexandri Neuylli Kettum Thomæ Drantæ carmen.

ERGO *Neuylleo* vulgabere *Kette* cothurno,
Tuquè furorque tuus, ſcelus excidiumque tuorum?
Vtquè in grande nefas, atquè in ſua vulnera verſi,
Plebs hominum ruit, & ſociarûnt fœdera fures?
Ilicet eſt actum: totus de nomine puro
Tolleris, famaquè niger turbabere cœcos
Ad manes: tu voce viri, tu voce *Neuylli*
Sordeſcis, pollentis opes & numina linguæ
Te vitiant, te, te, præſtans facundia perdet.
O mihi poſt nullos memorande *Neuylle* diſertos
O docti pars multa chori: ceu namquè puellos
Ingenio, genio, calamo, ſermone, puellus
Anteibas, ita virquè viros, ita maximus vnus
Omni ætate viges, & nos poſt terga relinquis.
Cumquè tui valeant humeri, nec ferre recuſent.
Et tuus Antiſtes iam non ſua iuſſa ſuburget.
Sumito materiam *Ionio* vel *Cæſare* dignam,
Deſine tu *Kettos*, atque indiga dicere caſtra,
Hæc arbuſta tace, tequè his exſolue myricis.
Tu cane, vel reges, vel regia, maxima ſemper
Magne ſona: canor & florens te gratia fandi
Iutulerint cœlo, potes ô potes, eſſe beatus.
I puer aurato iubeas velentur amictu,
Quæ ſua præluſtris perarabit cumque *Neuyllus*.

(¶¶¶¶¶¶¶¶¶)

ALEXANDRI NEVILLI KETTVS.

OPTAREM equidem, vt hæ popules tempestates, & seditionum procellæ, quibus patria nostra (tempore EDOVARDI regis sexti) sordidissimorũ hominũ scelere & perfidia perculsa & afflicta fuit, aut nunq̃ contigissent, aut (si fieri posset) illarum memoria penitùs ex omnium mentibus exscinderetur. Sed quoniam præterita mutari nõ possunt, & hæc macula proditionis à pernicioſissimis ciuibus patriæ nostræ impressa, altius insedit in populi NORFOLCIENSIS nomine, ad memoriam sceleris sempiternam infixa, quàm vt penitùs deleri, aut prorsus exstirpari queat: facilè patior oblatam mihi hanc huius historiolæ conscribẽdæ facultatẽ, vt omnes intelligant quibus initijs hij tanti tumultus excitati sint, ac qua tandem virtute cõpressi: penituſq̃ perspiciant vulnera illa, ac seditionum scelera patriæ nostræ non à bonis viris & fortibus inflicta, sed à desperatorũ hominum flagitioſiſſimis

mis gregibus inusta fuisse.

Illud certè apud omnes constat, incredibilem ex istiusmodi rerum cognitione vtilitatem ad posteros dimanare: magnosq; proculdubiò fructus cõsequẽtur homines boni, si ad hæc exemplorum documenta acriter animos intenderint: & ex ijs ipsimet sibi salubrem ac frugiferam vitæ disciplinam instituerint. Contraq; impij ac turbulenti ciues, si qui fortè sunt huiuscemodi (quales esse in hoc regno vel nullos, vel non ita multos confido) ex aliorum calamitatibus sapere sibi condiscant: aut saltem si id facere nequeant (nequeunt autem quia noluni) horum miserabiles exitus contuentes, perhorrescant.

Anno

NNO Christianæ ſalutis milleſimo, quingenteſimo, quadrageſimo nono, cũ ad regem Edouardũ eius nominis ſextũ, nõnulli grauiter cõqueſti eſſẽt, agros publicos intercipi, & à priuatis quibuſdã hominibus circũſepiri: eius rei cura auctoritate regia hominibus grauiſſimis ac integerrimis delata eſt, quæſtioq; conſtituta, iuſſiq; vt primo quoq; tempore de iſtiuſmodi querelis anquirerent: & de tota re quàm fieri poſſet maturè, cognoſcerent atque deliberarent. Quod cùm exiſſet in vulgus, palamq; fieret, variiq; rumores diſſiparentur, ac inter cætera CANTIANOS foſſas cõpleſſe, & agros (quondã publicos) ſcrobibus ac ſepiũ munimẽtis intercluſos aperuiſſe, id quia ſimiliter in prouincia Norfolcienſi factum non eſſet, de plebe homines quidã tenues ac ſeditioſi, apertè fremere ac indignari cœperunt. Exin immani ſe ſcelere ac nequitia cõſtrinxerũt, vt ipſi cõtra quàm fas eſſet, atq; iniuſſu regis idem facere conarentur, quod in Cantio factitatum eſſe audierant: cupientes (tamen vt exitus docuit) non tam agros publicos ab iniuria quorundam qui eos vallis ac ſepibus circummunierãt vindicare, quàm nefariam nefarys ſeſibus incluſã, omnia pereundi perdendiq; libidinem in rẽpublicam profundere. Ex quo bellum patriæ pernitioſum, & ſibimet ipſis exitiale conflarũt. Nam cùm fama iſtius nefandæ ſocietatis multorum ſermone percrebuiſſet, paſſim clandeſtina concilia iniri

cœpta, multiq3 multis in locis obscuri & ignobiles viri suam Fortunam conqueri, ac in generosorum atque nobilium potentiam intemperantiùs inuehi cœperunt,

» ENIMVERO intolerandam iam procerum superbiam videri, suam vero cõditionem miserrimam. » Hos affluere delitijs atq3 omni rerum copia circũfũdi, languidisq3 liquefactos voluptatibus auaritia dũtaxat ardẽti, & flagrantissimis cupiditatum facibus » inflammari. Se labore & vigilia penè enectos, nihil » aliud in omni ætate facere, nisi sudare, algere, esurire, » sitire. Quæ quidem quamuis misera videãtur & indigna (sunt autẽ procul dubiò indignissima) ferri tamen vtcunq3 posse, si non hijs efferuescentibus malarũ delectationũ fretis immersi, aliorum inopiã calamitatẽq3 insolenti nimis fastidio insectarentur. Nũc verò se suamq3 fortunã hominibus superbissimis, omniq3 mollitia & otio defluẽtibus ludibrio esse, eam rẽ (sicuti debet) tantũ menti dolorem inurere, tãtamq3 famæ turpitudinẽ infligere, nihil vt sibi nec ad cõmemorandum acerbiùs esse possit, nec ad tolerandũ iniquiùs. Illam verò agri possidendi conditionẽ miserabilem ac planè seruilem videri, ad procerũ libidinem tenere se omnia, non liberè, sed ex præscripto & tanquam ad domini voluntatem ac nutum: continuò simulac quisquam aliquẽ ex purpuratis istis offenderit, fortunis õnibus exui, priuari, deturbari. Quousq3 tantam dominandi libidinem inultã sinerent? Iamq3 eò deuenisse crudelitatis & auaritiæ, vt non contenti

sint

ſint omnia rapere, ſpoliare, & per vim ac ſcelus adi-
piſci, quæ in luxum muliebreſq́ delitias profundant:
niſi etiam ſanguinem pene ipſum, medullāq́ ex venis
& oſſibus exſuxerint. Agros publicos ſibi ac ſuis ſub-
leuandis à maioribus relictos adimi: prædia quæ pa-
trum memoria communia eſſent, ea nunc foſſis ac ſe-
pibus diſtingui: paſcuis ſcrobes circunduci: omnes
ſibi aditus intercludi. Quicquid volucrum cœlū cō-
tinet: quicquid piſcium mare cōplectitur: quicquid
frugum terra parit & fūdit, hoc omne illos deuorare,
conſumere, abſorbere. Naturam non ſufficere ad libi-
dinem explendam: nouas quoq́ artes excogitaſſe, &
tanquam diſciplinas voluptatum: condire, ſuffire, a-
romatibus circumfluere, ſuauia ſuauibus affundere,
omnia denicq́ vndicq́ cupiditatum inſtrumēta, ac le-
nocinia libidinum cōquirere, cùm illi interim herbis
ac radicibus veſcātur, ac continuo labore tabeſcāt.
Enimuerò quod viuant, quòd ſpiritum ducant, quòd
libero cœlo ac aere fruantur indignari? Num ſicut a-
gris publicis ſepes prætēdiſſent, ſic omnia huius vitæ
commoda iucunditateſq́, quas parens natura com-
munes eſſe vult, ſibiq́ quotidie aquè atq́ illis profun-
dit, illorum quoq́ intolleranda libido circumuallaret?
Non poſſe amplius tantam ac tam crudelem iniuri-
am perferre, nec æquis oculis tam immanem nobili-
um auaritiam, luxuriem, arrogantiam intueri: rui-
turos ſe potiùs in arma, & terram cœlo miſturos,
quàm poſthac tam atrocia paterentur.

"Naturam vt illis, sibi quoq; prouidisse, corpus & a-
"nimã dedisse, num cætera inuidisse? Formam cùm ha-
"beant eandem, & sortem nascendi communem, cur
"haberent vitam dissimilem, & disparem fortunam?
"Videre se ad extrema ventum iam esse, velle quoque
"extrema experiri. Septa disturbare: fossas complere,
"aditũ ad publica vnicuiq; patefacere: omnia deniq;
"quæ illi nõ minus nefariè, quam auarè crudeliter q;
"circumsepsissent solo adæquare. Nec vtique passu-
"ros se amplius oneribus inuitos premi: nec tãtum de-
"decus admissuros, vt in his malis consenescentes, po-
"steris miseram ac lugubrem Rempublicã relinquãt,
"& multò quàm à maioribus acceperãt peiorẽ. Quã-
"obrem omnia se tentaturos: neq; vnquam nisi rebus
"ad arbitrium compositis quieturos. Cupere se liber-
"tatem, & permixtam omnium rerum licentiam, hãc
"velle: alioquin huius tumultus eundem qui vitæ finẽ
"futurum.

His irarum fluctibus & querelarum veluti tempestatibus iactati, concitarunt se inuicem perditi ac profligatissimi nebulones, passisque velis ad ea scelera prouecti sunt, quibus & periculum patriæ, & sibimetipsis exitium intulerunt.

Ac non ita multò post contigit, vt ludi ac spectacula WYNDHAMIAE celebrarẽtur, antiquitùs ita instituta, vt biduò, duabusq; noctibus perpetuis continuarentur. Ad quæ cùm ingens omnium ordinũ concursus fieret, proditores nequissimi in hoc solummodò intenti erant, vt virus inuidiæ suæ in patriã e-

uomerent

nomerent loci tantum oportunitatem ac tẽporis exſpectantes. Itaq; primum clandeſtini fiebant coitus hominũ huc & illuc diſcurrentiũ, deindè ſeceſſiones & occulta colloquia: ad extremũ verò tumultuari omnes & apertè inſanire cœperunt. Cũq; inaudiſſet, Robertum quendam Kettum, Coriariũ, hominem ferum ac agreſtem, importunaq; audacia ac violentia effrænata præditum, agri aliquantulum quod aliquãdo publicum fuiſſet, circumcluſiſſe, ad eum pleni furoris ac amentiæ cõuolauerunt, illiqué quæ ab illis cõſilia pacis perturbandæ inita fuiſſet exponũt, ac vehementer ab illo depoſcunt vt quicquid publici circumſepſiſſet, protinùs reuulſis ſepimentis ac ſolo adæquatis, patriæ atque illis (communi vtilitati conſulẽtibus) concederet.

KETTVS, vt qui iſdem furorum flammis arderet, quibus iſti conflagrauerunt, facile paſſus eſt ſeſe in ſocietatem tam execrãdi facinoris aſciſci. Reſpondet, Omnia ſe facere paratum, præſtoq; ſemper futurum non ad reprimendam ſolùm, ſed ad comprimendam procerum potentiam: ſperare ſe breui effecturũ, vt ſicut illos ærumnæ, ſic iſtos ſuperbiæ pœniteat. Multa nefanda, quæ per hos annos perpeſſi eſſent, oſtendit: multas iniurias ac calamitates quibus affecti, afflictiqué fuiſſent: Iubet mactè virtute eſſe, potentiam hanc tantam, tantam auaritiam, tantam ac tam inauditam in omni genere crudelitatem, Deo hominibuſqué omnibus inuiſam ac execrandam videri. Damna quæ Rebus publicis,

" agriſq; cõmunibus, ab importuniſſimis dominis importarentur, ab illorum iniurijs ſe vindicaturũ pollicetur, daturumque operam, vt cui agro ille foſſam circundediſſet, id denuò ſibi cum omnibus publicum ac commune fiat, illamq; ſeſe primo quoq; tẽpore ſuis manibus completurum. Addidit ad extremum, ſe commodis illorũ nunquam defuturum: habituros illum non comitem, ſed Ducem: non tantæ rei gerendæ ſociũ, ſed ſigniferũ, authorem, principem. Omnibus denique conſilijs non interfuturum ſolùm, verumetiam perpetuò præfuturum.

His illi deſpicatiſſimi viri, ac omnium qui vnquam poſt homines natos exſtiterunt turpiſſimi, vocibus accenſi: cùm vndique circumfuſi & gratulabundi ſuccłamaſſent, repentè velut agmine facto in agrum quendam Ketti villulæ Windamiæ continentem & adiunctum, omnis multitudo ſeſe effudit, ibique (ſicut conſtituerant) foſſis terrã obducunt. Quod cùm feciſſent tanquam effrænes equi, ad eam quam opinionis errore ſibi conſinxerant viuendi licentiam adhinnientes, partim audacia ipſimet ſua, & hoc inani rerum ſucceſſu confiſi, partim Ducis adhortationibus, & clamoribus, tanquam facibus ardentibus inflammati, incredibile dictu eſt, quantis furiarum flammis ad pacem perturbãdam, & ſtatum Reipublicæ labefactandum exarſerint.

Exinde HETHERSETVM proficiſcũtur (quod oppidulũ non longe diſtat à Windamia) atque illic in agrum

agrum Flowerdui cuiusdam impetum faciunt, fossas complent, septa deturbant, claustra refringunt. Ad hos tumultus magna lis & altercatio orta est, cùm Flowerduus dolore & iracundia grauiter excandescens, Kettum acriùs increpasset, illiq; crimini daret, vtpote qui hanc plebem indomitam & rebellem conciuisset. subindè eum nefarium virum, patriæ pestem, & fugitiuorum ducem appellans. Atq; ab hoc quidem Flowerduo (quoad licuit) illorum sceleri occursum est, retardatîq; conatus: factumq; quantum potuit à fide inermi fieri, contra perfidiam instructam & armatam. Quibus illi dictis factisq; vehementiùs accensi, cum Ketto vociferabundi circumfusi, clamoribus, querelis, ac mutuis adhortationibus omnia complessent, tandem ab illo auxilij fidem (qua se recens deuinxerat) implorant, & exposcunt Ille vt qui omnem spem futuri sceleris, in maleficij præsentis euentu defixisset, non amplius sibi cunctandum ratus, bono vt sint animo hortatur, seq; libertatis authorem ac vindicem sequantur. Quæ esset illi à Repub. imposita persona non excidisse, saluti illorũ nihil prius, nihil antiquius sibi fore, vtpotè pro qua opes ac vitam (res secundùm illos charissimas) alacri mente profusurus sit.

Fama istius flagitiosissimæ vocis vndique omnes sceleratos ac perditos viros conciuit, adeò vt repẽtè magni seruorum ac fugitiuorũ greges in Kettiana castra confluxerint. Quibus ille scelerum satellitibus, atq; administris stipatus, cùm tam Hetherseti

quam Wyndhamiæ impressa flagitiorum suorum vestigia reliquisset, atque omnibus penè locis quacunq; incederet, vastitatem intulisset, decimo die Iulij ad locum ETONENSI syluæ vicinum peruenerunt. Huic syluæ continentes & adiuncti sunt agri compascui ciuitatis Norwicensis, quos multorum inopũ ac pauperum boues depascuntur, illisque publicitùs custos præficitur, cui vnaquaque hebdomoda singulos obolos dependere consueuerunt. Ad hos agros quod illis viua sepes & fossa prætẽderetur, ne pecora palantes vspiam dilaberentur, ex infima plebe Norwicensi quidam, pridiè quàm rebelles vrbem versus iter fecerunt, præcipiti rabie & amentia districti conuolauerunt. Publica ea pascua esse (sicut erant) vociferantes, nec se amplius publica passuros fossis circumcingi aut sepibus præmuniri. Adeò cœco impetu à mente & ratione auersi ferebantur, vt quæ maiorum prouida ac sagax industria in communem vtilitatem sepsisset, ea suis manibus ipsi rescindere conarentur. Vix dum in superiori parte agri scrobem demoliti sunt, cùm permulti nefarij ac pestilentes viri, quorum auribus rumor auram aliquam istius pernitiosissimæ conspirationis afflauisset, è ciuitate clàm dilapsi, cum Kettianis militibus sese coniungunt. Qui id vt facerent, eò citiùs adducebantur, quòd proditores isti nequissimi impurissimo sceleri suo salutem semper Reipub. necnon communis vtilitatis curam prætexuissent.

Harum rerũ nuntijs in ciuitatem celeriter perla-

tis,

tis, Prætor (THOMAS CODDVS is dicebatur) re noua trepidus, protinùs huic malo prospiciendum sibi putauit, elaborandumq; vt hij tumultus (si qua ratione fieri posset) primo quoq; tempore comprimerentur. Quam ob rem ex primoribus vrbis aliquot, ac patribus accitis, (Aldermanni ij dicuntur, & sæpe Prætori in concilio adsunt) ad hos motus sedãdos in Kettiana castra contẽdit. Ibi illos omnia nefanda patrãtes inuenit, atq; in luxum & epulas effusos. Ac primùm pecunia ac blãdis pollicitationibus illos pellexit, vt incepto desisterent, & domum quisque suam decederet. Illi verò nihilominùs sceleri instãtes, quicquid erat vspiam clausi, aut munitu refringunt. Prætor cùm omnia frustrà tentasset neq; prece, aut prætio quicquã profici vidisset, quo mentes proditorum, à tanti sceleris diritate, ad cogitationem pacis auerterentur: confestim in ciuitatem reuertitur. A cuius discessu seditiosi rati id quod erat, quodq; ex rumusculis quorundã hominũ qui ad illos ex vrbe profugerãt, subodorari cœperũt: si diutiùs distracti ac populabundi vagarẽtur, protinùs illorum consilijs nullo negotio occurri, & obsisti, posse huic rei præuertendũ existimãtes, tutissimum ad id sibi visum est, vt execrandæ suæ societatis assecla vnum in locum contraherentur. Vndè extemplo ad syluam Etonensem perrexerunt, quam cum vndique oculis perlustrassent, & castris ponendis minùs idoneam ac commodam inuenissent, publico consensu decretum est, vt illinc primo quoq; tẽpore MOVSHOLDIAM

proficiſcerentur, eumq; locum potiſſimum deligerẽt, in quo ſcelerum ſuorum ſedes, ac rapinarum latibula conſtituerent.

Proinde cùm hoc conſilium omnibus arriſiſſet, ĩaq; nox nec opinantibus interueniſſet, miſſi continuo
" *ad Prætorem qui illi renuntiarent: Sibi eſſe in animo*
" *ſine vllo maleficio iter per ciuitatẽ facere, & propte-*
" *reà quòd via illa eſſet multo facilior & expeditior, rogare vti eius voluntate, id ſibi facere liceat. Prætor ad hæc: inimico eſſe illos & hoſtili animo in Rẽp: quapropter non daturum ſe illis per ciuitatem itineris faciendi facultatem. Dein eos vt ſeditioſos, & omnia perturbare, ac confundere cupientes, aſperimis verbis perſtrinxit, & minantibus vocibus ac ad terrorem vndiq; inſtructis, à tanti ſceleris immanitate deterret. Denique ſi furere pergant denuntiat breui futurum, vt tam perditos conatus, horribiles exitus conſequantur. Tantum vero abfuit vt ad hanc orationem illorum furor deferbuerit, vt multò quàm venerint obſtinatiores, & in proditionis propoſito obſirmatiores, à Prætore receſſerint. Caterùm Kettiani hac ſpe conatuq; depulſi, noctem illam totam in Etonenſi ſylua delituerunt.*

Intereà Prætor primoribus vrbis in concilium conuocatis, quam primùm ad illos de Repub: refert. Ibi diu multumq; deliberatum fuit, veluti ab his quorũ animi in anc:ipites ſententias diſtraherentur. Nõnulli cenſent celeritate opus eſſe, protinus ac ſine mora profligandos: deſperatione ac rabie furentes, ſ

non primo quoque tempore reprimerentur, toti Prouinciæ exitium ac pestẽ illaturos. Alij contrà sentiunt rem esse maximi discriminis, deliberationis verò, ac consilij summi. Hanc resistẽdi celeritatem, vt forti ac magno animo profectam, sic lubricam, & præcipitem videri, nempe cuius omnis laus in euentu defixa foret. Eum autem vt semper ancipitei, sic plerumq; miserabiles exitus sortiri. Proin suadere se, vrbem vti muniant, custodias, vigiliasq; intentiùs instruant, oppidanos per muros, vrbisq; opportuna loca dispsnant. De cætero quoniã lege DE VI ET ARMATIS HOMINIBVS, cautum est, ne quæ copiæ iniussu Regis contrahantur, nihil tentandum, sed eius voluntatem authoritatemq; expectandam arbitrari. Facilè huic sententiæ inclinant omnium animi, vt quæ è re nata optima visa sit, & ad quemuis fortunæ impetum tutissima, missiq; extemplo qui maximis itineribus ad Regiam contenderent, ijs datæ literæ, in quibus omnia diligentissimè perscripta sunt: iussiq;, vti festinatione quanta adhiberi posset maxima, ad Regios Consiliarios perferentur.

Postridiè eius diei, (vndecimus is erat Iulij) coniurati, cùm vt per vrbem iter illis facere liceret, à Prætore impetrari non posset, omni spe præcisa protinùs (id quod optimum factu videbatur) Pontẽ Heidesdonum transire decreuerunt. Quod cùm commodè fieri non posset per pontis angustiam, quæ iter præbebat per arduum ac difficile, & iumentis ac vehiculis transducẽdis impeditissimum, magnam vim lignorum

lignorum in flumen conijciunt, atq; ita fasciculis & arborum truncis congestis, viros, equosq; atq; impedimenta omnia trans amnem conuexêre. Hunc in modũ fluuium transgressi, insequenti nocte DRAYTONIÆ *consederunt: proximo die Mousholdiam versùs contendunt, septis ac sepibus vndiq; reuulsis. Quinetiam, Sacellum* CORBETTI *cuiusdam diruerunt, omnibusqué locis stragem ac ruinam miserabilem intulerunt.*

In hunc perditissimum sceleratissimorum hominum gregem, omnia delentem ac vastantem, & quacunque insisterent præcipiti rabie ac furore ruentẽ, fortè fortuna dum speculandi causa qua venerant incautiùs progrederentur, inciderunt Rogerus Wodhosius, vir ordinis equestris, & Apelyardij fratres: hos comprehendunt, secumq; inuitos trahunt. Exin collem D. Leonardi vrbi Norwicensi ex aduersum cœpêre: quo in loco Comes Surreius, præclaram exadificauerat & plenam dignitatis domum: cui infrà flumen publicum præterlabitur (quod medium interciuitatem & collem interfluit) habetq; ex occidente & meridie syluam ac villulam Thorpensem, ex oriente verò ac septentrione compascua Mousholdica, quæ amplius millia passuum sex in longitudinem ac latitudinem protenduntur. Hic illi furorum cubilia, ac (quasi castra) locarunt: & in syluosis illis latibulis canum instar delitescẽtes, omnia iura diuina & humana polluerunt. Quinetiam domum illam magnificentissimam homines impurissimi inuaserunt, atque omni-

omnibus in locis ſcelerum ſuorum impreſſa veſtigia reliquerunt.

Iam verò quicquid vſpiam eſt infimæ & abiectæ plebis confluxit: omniſq; fex & ſentina populi Norfolcienſis in hæc ſe caſtra refudit. Præterea magna multitudo Suffolciēſium, & hominum etiam in alijs locis, atque regionibus degentium, campanarum tinnitu, & incendio ſpecularum excita, congregatur. Addunt etiam ſceleri ſcelus: Nam immanem hanc tantam nequitiam, & inauditam omnia delendi libidinem, ſpecie fictæ ac ſimulatæ ſanctitatis adūbrāt. Sacerdotem adhibent: hunc rebus diuinis, ac votis quotidiè manè ac veſperi ſuſcipiendis præficiunt. Inſuper viros optimos, & quà relligionis ac doctrinæ, quà virtutis ac innocentiæ laudibus inſignes, ad horum ſcelerum ſocietatem adiungere conantur. Inter quos fuerunt Robertus Watſonus concionator, Thomas Coddus Prætor ciuitatis, & Thomas Alderichius de Aula Mangrenenſi, vir quoad vixit omnibus charus atque iucundus. Hos tres quod ſe tam nefaria pactione, & perfidiæ fœdere deuincire recuſaſſent, inuitiſſimos coëgerunt omnibus intereſſe conſilijs, & vnà cum Ketto ſeditionis architecto, cunctarum rerum adminiſtrationem ſuſcipere. Quod quidem accidit percommodè, nam ſi quando contigiſſet, (contigit autem ſapiſſimè) Kettum, aut ex conſpirationis principibus aliquem (vt erant proni nimis ac præcipites ad omne flagitium) conſilio furibundæ ac veſanæ multitudinis incita-

incitatum, aliquid ſceleris ac nequitiæ machinari, quod tandem aut vrbem, aut agros, & regionem vrbi vicinam afflixiſſet, horum perprudens & ſolers induſtria, iſtiuſmodi peſtiferos conatus ſæpenumerò repreſſit.

Quanquam Kettus ardens ſcelere, & agreſtibus ſuorum inſtinctus furijs, ſolebat interdum mandatorum velut ex authoritate præſcriptorum formulas emittere: quæ KETTIANA DIPLOMATA *dicebantur: ad quæ nonnunquam intemperantiſſimus helluo, honeſtiſſimorum virorum nominibus abutebatur. Horum diplomatum exemplum ſubiunximus.*

Nos *Regis amici ac Delegati*: pecoris & cuiuſuis generis commeatus conquirendi, necnon in caſtra *Mouſholdica* deferendi poteſtatem, omnibus concedimus, quocunque in loco deprehenderint, dummodo ne quæ vis aut iniuria honeſto ac pauperi cuipiam inferatur. Cunctis ex imperio denuntiantes, prout honori ac *Maieſtati Regiæ*, Reiqué publicæ afflictæ, prouiſum & conſultum volunt, nobis *Delegatis*, & his quorum nomina ſubſequuntur dicto audientes eſſe.

ROBERTVS KETTVS.

Et tum ordine longo alij conſequebantur: namqué Delegatorum numerus erat ingens, quippe qui præter illos huius nefandæ ſocietatis principes ex omnibus

bus centurijs duos sibi viros asciuisset. Erant autem centuriæ viginti sex. Atque his & huiusce modi diplomatibus permulti nobiles, & optimi viri, quos vulgi furor ac rabies reos fecisset comprehendebantur: multi ac si fontes essent Mousholdiam perducti, atque illic in custodiam ac carcerem concluſi. Præterea valli ac sepimenta quibus agri publici circũscripti ac muniti erant, talium diplomatum auctoritate reuellebantur, multiſq; è locis multi citabantur, vt horum tumultuum socij ac participes exsisterent. Atq; hæc omnia fiebant his tribus, Prætore, Watsono, & Alderichio, non tacentibus solùm & conniuentibus, verumetiam ad speciẽ interdum consentientibus. Tempestati identidem obsequi coactis, quò patriæ tum fluitanti in alto procellis seditionum atq; discordiarum, subuenirent. Ne si nequicquam obsistendo, aduersum infestumq; vulgus conciuissent: & ipsimet sibi præsens exitium, & patriæ lamentabilem cõflassent interitũ. Quæ proculdubio si tum palàm reclamassent, (tanta fuit rabies, adeoq; effrænis) rapinis, incendijs, atque omnibus publicis exitijs perculsa concidisset.

Interèa ciuitas Norwicensis de hoc rerum statu sollicita, & tantis de tumultubus anxia & suspensa, incerta spe, & diuturna expectatione pendebat. Neque adhuc à Regia Maiestate quicquam allatum fuit, nec quid illius Consiliarij fieri decreuissent intellectum: & ciues horum iniussu nihil audendũ rati, imperiũ Regis exspectantes in vrbe manebant.

Accidit autem eadem tempestate, vt multis in locis multi obscuri & ignobiles viri in armis essent, tanquam communi sceleris consensione deuincti, ad Rempub. dilacerandam conspirassent. Etenim quãuis agrestium furor multò magis ac atrociùs in prouincia Norfolciensi, quàm alibi vspiam exarserat, tamen & eadem fatalis cuncta perturbandi lues per omnes penè regni partes diffusa, non Norfolcienses duntaxat, verumetiam Buchingamienses, Oxonienses, Surreienses, Estsaxones, Cantianos, Cantabrigienses, multosq́ insuper mortales ijsdem tumultibus implicuit. Vnde adeò factum est, vt cum omnis consiliariorum cura & cogitatio in his tantis seditiõ flammis exstinguendis consumeretur, (ne si incendio protinùs non subuenissent, tota Respub. deflagrasset,) tardiùs aliquantulum quàm cupiebant ad hos Norfolcienses motus reprimendos accesserint.

Gliscit interim seditio, nec remittit aliquid, sed indies ingraescit, ita vt sexdecim penè millia sordidissimorũ hominum in Kettiana castra conuenerint. Atque hi quidem Ketto duce omni se præsidio munire cœperunt. Multisq́ è locis bellicos apparatus ac instrumenta in castra conuexerunt. Insuper magnam vim pulueris bombardici, & tormentorum cuiusuis generis numerum ingentem. Ad quæ diripienda huc & illuc passim discurrentes, multorũ nobilium domos peruagati, easq́ depeculantes, quicquid pecoris in agris, aut pecuniæ in ædibus, aut frumenti in horreis reperire possent, impiè nefarieq́ auferen-

ferentes inſpectantibus etiam dominis) in caſtra deportarunt.

Atqui quamplurimi, cùm hunc in modum cuncta vaſtaſſent, compilaſſent, exinaniſſent, ac miſerabilem vbicunque veſtigia poſuiſſent, rerum omnium ſtragẽ adidiſſent, maxima prædæ parte auerſa & clãculùm in ſpeluncas retruſa, furtim quiſque ſibi, quãtum rapinarum in latibulis coaceruari potuit, congeſſerunt. Re comperta, & ad Kettum & cæteros GVBERNATORES, *(ſic enim dici volebant) delata, huic incommodo primo quoque tempore mederi cupientes, communi conſenſu decretum, locum aliquem deligendum, in quo Iudicia exercerentur. Quercus erat annoſa, & patulis ramis diffuſa: hanc tignis atq; trabibus tranſuerſim iniectis contabulauerunt: ibiq; plerunq; circumfuſa plebe conſiſtentes, de querelis & litibus (ſi quæ fortè cuiquam intenderentur) prout viſum eſt, ſtatuunt atq; decernunt: & nonnullorum interdum ſolutam nimis ac efferueſcẽtem omnia rapiẽdi cupiditatem arctioribus uinculis conſtringunt. Hanc* QVERCVM REFORMATORIAM *nuncuparunt, in quam initio aditus nulli dabatur præterquam Ketto, & Gubernatoribus. Ex quibus nonnulli, & inter hos Prætor ciuitatis vt qui maximè, & Alderichius, & alij quos anteà diximus inuitiſſimos talem in numerũ aſcriptos, omnibus modis quãtum in ſe fuit vehementer contenderunt, vt plebeculam infimam & ieiunam ab hac tam importuna prædãdi licẽtia coercerẽt. Quẽ in finẽ idẽ-*

tidem. Quercu conſcensa, orationis grauitate perpulerunt, vt aliquem interdum, si nō exitum, at ſaltem modum, tantis rapinis, ac tam effuſæ in omni intemperantia violentiæ conſtituerent. Fuerunt item & alij grauiſſimi viri, & Theologi præſtantiſſimi, qui omni opera, ſtudio, ac diligentia connixi ſunt, plebem tumultuantem, & (legum iam vinculis laxatam) in omne ſe ſcelus ingurgitantem, à rapinis & incendijs quibus omnia miſcuerant, ad pacis cogitationē traducere. Atq; hij quidem de die in templis concionādo, de nocte verò armati intrà ciuitatem excubando; nil prætermiſerūt, quod eſſet aut cum officio ſanctiſſimorum Theologorum, aut conſtantiſſimorum ſubditorum fide coniunctum. Inſignis tum inter cæteros doctoris MATTHAEI PARKERI prudētia, fides, & integritas fuit. Vir venerabilis, ac omni ſemper virtutis decore circumfluens. Ac tum quidem profeſſor ſacræ Theologiæ fuit, hodiè verò (tēpore illuſtriſſimæ Reginæ Eliſabethæ) Cantuarienſis ſedis Archiepiſcopus ampliſſimus. Huic cùm eſſet in animo boni paſtoris officio ac munere defungi, videretq; omnia furorum ac flagitiorum flammis circūfuſa, fecit id quod & prudentem decuit, & conſtātī oportuit, Nam & in ſceleribus redarguendis fortem ſe præbuit & magnanimū, & in periculis cautè deuitandis, ſagacem & induſtrium. Vnde & Deo & Regi præſtitit quam debuit fidem: & ſibimetipſi diligenter conſulendo, adhibuit eam, quæ à ſapiēte imprimis requiritur prudentiam.

Euenit

Euenit autem vt cùm die quodam, vnà cum amicis quibuſdam, in Kettiana caſtra contenderet, Kettum & alios eius ſocietatis affines, in Quercu ſtantes, & inter ſe de rebus variis diſſerentes inuenerit. Quo quidem tempore Prætoris Coddi egregia virtus enituit, audiebaturq; vox illius magnifica planè & viro forti dignissima.

Nam cum Kettus ſcelerum ſigniſer illi cupidius inſtaret, vt traditis clauibus, omniq; poteſtate ſibi permiſſa, ſemetipſum Prætura abdicaret: enimuerò CODDVS *ferociter reſpondiſſe dicitur: Animam ſeſe potius daturum & ipſam è corpore vitã, quàm aut per ſcelus ciuitatem perfidioſiſſimè deſereret, aut fidem ergà Regem per metum & ignauiã flagitioſiſſimè abiceret.*

His vlrò citroq; iactatis, inclinato iam in veſperum die, Matthæus videſ miſeram plebeculam vndiq; potu luxuq; demerſam, ad temulẽtos & ebrios, quà cibo potuq; onuſtos, quà cœli ſoliſq; ardore cõfectos, parùm profecturam orationem ſanam ac ſobriam exiſtimans, eo die nihil ſibi dicendum putauit. Quamobrem cuncta furorum ac tumultuum plena relinquẽs, in ciuitatem regreſſus, poſtridiè manè (dies is erat Veneris) cũ fratre Thoma Parkero (qui poſteà Norwici Prætor fuit) in Kettiana caſtra reuertitur. Exin (mirabile dictu) omnes ſub quercu orationi ac precibus intentos inuenit, mediumq; inter illos Letaniam dicentem Thomam quendam templi D. Martini Vicarium. Matthæus oblatam iam ſibi

dicendi facultatem conspicatus, QVERCVM cõscendit, ibiq; concionem habuit, prudentiæ, grauitatis ac modestiæ pleniſſimam. Erat autem omnis illa oratio in tres potiſſimùm distributa partes, quarum PRIMA ſapienter eos admonuit ne iis quæ ſui ſuſtentandi cauſa in caſtra comportaſſent, diſſipatis atq; conſumptis, mundi fructus ac munera diuinitus conceſſa, per luxum ac nequitiam impuriſſimè profunderent. TVM ne priuatas & occultas inimicitias perſequentes, iracundia aut vlciſcendi libidine intemperantius elati, manus cruore ciuili reſpergerẽt: néue illos quos inſtar hoſtium haberent, cuſtodia aut vinculis coercerent: vitamué cuipiam nefariè aut crudeliter adimerent. EXTREMVM fuit, vti cõmuni vtilitati conſulẽtes, incœpto deſiſterent, nec fecialibus aut internuntiis regiis fidem detraherẽt, ſed debitum Regiæ Maieſtati honorem, etiam in tenera & imbecilla ætate deferrent, quo ipſi poſteà floreſcẽtibus annis firmata iam virtutis ſtirpe, & altis tanquam radicibus defixa, incredibili cùm voluptate, tum lætitia perfruerentur.

Hoc in loco cum omnes dicendi neruos contẽdiſſet, cunctiqué concionanti benignè attenteq; audientes circumfunderentur, clamore cuiuſdam ſceleratiſſimi ac infimi hominis obſtrepi cœptũ eſt. Quouſque (inquit) hunc mercenarium doctorem perſeremus? qui a Nobilibus pretio conductus huc acceſſit, vocem adferens venalem, & linguam mercede conſtrictam. At nos illorum intolleranda po-

tentia

tentiæ frænos iniyciemus, illosq; tergiuersantes & in- »
uitos, legum nostrarum laqueis implicatos tenebi- »
mus. »

Tum verò fremere plebs, ac apertè indignari cœpit: multiq; dicto huius furibundi ac vesani hominis incitati, asperrimis eum verbis & minantibus insectantur. Auditæq; voces nonnullorum horribiles & infestæ, quæ etiã aures ipsius Matthæi perculerunt. Ac ex iys quidam ferociter inclamarunt: Optimum esse quoniam tam belle locutus esset tamquè lepidis & verbis & sententijs orationem suam conspersisset, telis sagittisq; confixus, descendere cogeretur. Enimuerò tum viro optimo pauor iniectus, & ad hunc pauorem, insuper alterius mali suspecti & occulti terror adiunctus. Senserat enim sub pedibus hastarum cuspides ac spicula, magnoq; in timore fuit, ne ab irata multitudine transfigeretur. Posteà tamen nullam ab his tanti timoris causam extitisse intellectum, quippè penè omnes qui sub arbore constiterunt, Matthæum summo in honore habebant, eumq; omni amore & beneuolentia cõplexi, aduentu illius mirificè lætabantur. Sperabant enim fore, vt illius oratione impulsa ac mansuefacta plebs, aut lãguidior ad scelus & nequitiam facta penitùs resipisceret, aut saltem aliquid de tanti furoris atrocitate remitteret: atq; ita illi (qui omnes aderant inuitissimi) maiorem libertatem nanciscerentur. Vtcunq; fuit, ingens tum eum horror perstrinxit, magnoq; in

periculo constitutus videbatur, cum ecce tibi de repentè Thomas ille (quo de ante diximus) templi D. Martini Vicarius, ascitis tribus aut quatuor Æditimis, Te Deum Anglico sermone musa solenni, & modorum interuallis, ad aurium voluptatem eleganter distinctis, concinere cœpit. Cuius illi cantus suauitate perfusi, (Musicæ enim insolentes erant) crudeles & efferæ mentes insueta delectatione delinitæ, paulatim deferbuerunt.

Matthæus hanc oportunitatem nactus, non exspectandum sibi putauit, dum aut hij canere desijssent, aut illi furere de integro cœpissent, atq; ideo de Quercu descendens, cum fratre quà dabatur exitus castris excessit. Euntibus illis per collem D. Leonardi ad portas Pockthorpenses, denuò inferunt se & alij eius societatis assecla, tumultuosissimis eum clamoribus insectantes. Qui quidem multis de rebus secum expostulantes contenderunt, maximè verò de magno Sigillo quo concionandi potestas fuit illi permissa.

Videns itaque Matthæus omnes contactos hoc scelere, velut inecta rabie ruentes, tantorum tumultuum pertæsus, ac patriæ malis ingemiscens, clàm quà potuit elapsus fratrem Thomam Parkerum post se reliquit, qui cum illis de rebus omnibus disceptaret atq; ita sese illorum furori subtraxit. Postridiè eius diei eadem D. Clementis ingressus, è lectionũ altera (quæ tum publicè in templo legebantur) denuò causam arripuit, ad dicendum aliquid de hijs per-

pernitio, ſſimis tumultibus, multis cõiuratorum circumuolitantibus. Ac tum quidem nihil dixerunt, ſed exitum illius de templo exſpectantes indignabundi circumſtiterunt. Egreſſum protinus inſecuti, intelligere ſe aiunt illum tres vel quatuor cantherios habere expeditos & habiles, qui Regi deſeruiant, monent vt ſtatim à prandio præſtò ſint, ſe illis confeſtim vſuros. Matthæus aut nihil, aut pauca ſane reſpondit, ſed Hyppatro celeriter accito, iuſſit vt alijs detractis ſoleis, vngulæ ad viuum reſecarentur, alios verò calcantho viridi ſuper infuſo obliniri, medicamentis delibutos, ac ſi nimio labore & curſu fatigati conficerentur. Seditioſi ita rem habere ſuſpicati, ac poſteà illos dum velùti paſtûm ducerentur, hos pedibus faſcijs deuinctos, illos calcantho perfuſos cernentes, conquieuerunt. Matthæus non ita multò poſt veluti deambulandi cauſa portis egreſſus, ad duo millia paſſuum à ciuitate, præſtò ſibi ad pontẽ Crynkle fordẽſem equos inuenit. Quibus conſcenſis, Cãtabrigiã verſus contendit. In itinere verò quæ viderit, quæque audierit, quaſquè tumultuantiũ (quibus in via occurſum eſt) furias ac ſcelera conſpexerit, ſingula perſequi laboris eſſet propemodùm infiniti. Veruntamen Dei benignitate omni hoc motu & populari concitatione defunctus, tanti tandem periculi ſecurus, Cantabrigiam incolumis peruenit.

Huius igitur ampliſſimi viri veluti diuinitùs demiſſa vox & oratio, ad hunc modũ ab hominibus deſpicatiſſimis, & ab omni non ſolùm ſalute, verumeti-

am ſpe derelictis, nequiter neglecta, & cõtempta fuit. Quam etſi tum furore & amentia cæci & præcipites, velut exitialem, ac tantis ac tam perditis vitæ rationibus inimicam & infeſtam aſpernati ſint & reſpuerint: poſteà tamen procul dubio ex calamitoſiſſimis caſibus qui conſecuti ſunt, diuinæ vindictæ horror omnium mentes perfudit. Nam cùm (vt anteà diximus) huius cœleſtis orationis caput exſtitiſſet, vt tãto improbitatis velut incẽdio in animis reſtincto, protinùs reſipiſcerent, ne longiùs progreſſa proditionis impietas, patriæ propediem funeſta foret & horribilis, & ſibimetipſis ad extremum lugubris & exitioſa: enimuerò omnia quæ à vate illa perſapienti & verè diuina veluti fata populi Norfolciensis concinebantur, euenerunt: & ipſi à ſcelere ad ſcelus delapſi, iuſtas tandem ac debitas tanto furori pœnas perſoluerunt.

Intereà verò ſeditioſi (quos anteà diximus nobilium bonis ac fortunis inhiantes, omnia furtorum ac rapinarum ſcelere refudiſſe) exſaturati iam ſpolijs, à prædandi libidine ad vim crudelitatẽq; conuerſi, per omnem regionem Norfolcienſem terrorẽ & periculũ cunctis qui non ab illis ſtetiſſent denunciantes incedunt. Iamqué nobilibus vndique quaquà versùs flagitijs ſe furor inclinaſſet comprehenſis, ac in caſtra perductis, tantus omnibus horror illatus eſt, vt cũcti domibus ac patrijs ſedibus relictis, veſtitu mutato, ne fortè in itinere ac fuga conſpecti cognoſcerentur, in loca deuia demigrarint: & omnia ab illis extre-

ma

ma metuentes, in ſpeluncarum latibula, ac ſyluas denſiſſimas ſeſe abſtruſerint. Multi etiam coacti ſunt carris equiſq; ſi haberent, ſuis vti, ſi non haberent aliundè conquirere. Hiſq; imperatum, vt laborem & ſumptum de ſuo impendentes, frumentum commeatumqué in caſtra Mouſholdica aueheren. Quibus quidem (niſi protinùs parüiſſent) ab agris & ædibus vaſtitas, à liberis & vxoribus vis denuntiata eſt. Præterea quoſcunque nobiles ac generoſos comprehendiſſent (comprehenderant autem quamplurimos) eos arctiſſimis vinculis aſtringunt, ac ſi ſemetipſis in omni ſcelere nequiores extitiſſēt. Multiq; Norwicum in cuſtodiam traditi, atq; ex his nonnulli in Prætorium (vulgò Aulam Gildenſē appellāt) alij in carcerem publicum, quidam in ædes Comitis, Surræi, inſtar furū concluſi. Huc accedit quòd ſi quando rei pecuniariæ inopia premerentur, (premebantur autē ſæpiſſimè) ex publico ærario ſemper huic difficultati ſubueniendi neceſſitas, Prætori crudeliter impoſita fuit. Quorum importuniſſimis efflagitationibus ſi tum Prætor reſtitiſſet, enimuerò ærario exhauſto & incenſo, omnium fortunis miſeranda lues, & pernicies acceſſiſſet. Et quidem ſæpenumero eius compilandi nefaria ab iſtis conſilia inita ſunt, remqué ſine dubio tranſegiſſent, ſi non Prætoris ſedulitate ac diligentia, ſemper hac de ſpe conatuqúe depulſi fuiſſent. Nihilominùs tormenta multa & apparatus bellici quicquid comparari potuit,

(metuentes

(metuentes videlicet ne quàndo quid aduersi contingeret) è ciuitate in castra transtulerunt. Cunctisque ciuibus inductum vt primo quoq; tempore præsto sint, qui se (si opus sit) tueãtur atque defendant. Regios se amicos vociferantes, & iniurijs diuexatos, legum ac Maiestatis Regiæ tutelam defensionemq; suscepisse. Nec hoc contenti, Regis etiam nomine ad scelus & nequitiam abusi sunt. Diplomata quædam erant Regia, in quibus quorundam Nobilium nomina perscribebantur, hijsquè potestas delata fuit à Rege, iussiq; labenti Reipub. prospicere, videreq; vti hij motus primo quoquo tempore compescerentur. Hæc nacti, nobilium nominibus deletis atq; inductis, sua nomina inscribi fecerunt, Regijsque sigillis auulsis, & ad sua commentitia diplomata affixis, ijsq; in publico propositis, plebem imperitam, tantæquè fraudis insciam deceperunt.

Iamq; eò sceleris ac dementiæ deuenerunt, vt nec à Gubernatoribus, nec à Ketto quidẽ ipso, seditionis Architecto & principe, tãti tumultus furor ac impetus retardari potuerit. Præterea non solùm ij qui tãtorum scelerũ societatem cum illis coire recusassent, hostes indicati, sed & multi boni ciues qui cum liberis & vxoribus conseruandi sui causa, ex vrbe profugissent hostium loco habiti. Qui quidem tanti periculi terrore tectis expulsi, cùm nullo loco diutiùs consistere auderent, per multitudinis efferatæ vim ac rabiem dispersi, dissipatiquè huc & illuc vagabãtur. Multisq; lamentationibus & lachrymis illorum tempa-

temporum iniquitatem deflentes conditionem patriæ miſerrimam deplorauerunt. Vrbi etiam incendium atque deflagrationem minitabantur, adeò vt ij qui in ciuitate remanſerant, nihil aliud niſi rerum omnium labem atque ruinam exſpectauerint. Caſtrorum verò horribilis ac miſeranda facies. Nam cùm in illa magna multitudo vndique ex Anglia perditorum hominum latronumq; conueniſſet, quos ſpes prædādi, otijqué cupido ab agricultura quotidianoqué labore auocauiſſet, tanta fuerunt flagitiorum monſtra quæ conceperunt, tantaqué in omni genere nequitiæ ac libidines, vt eas quodammodò horreat ac reformidet oratio.

Illud certè conſtat, ſicut omnium agris ac ædibus vndiq; vaſtitatem & ſolitudinem infandam intulerunt, ſic quæcunq; in caſtra deuecta ſunt, luſtris & helluationibus nequiſſimis celeriter conſumpſerunt. Adeò vt incredibile penè videatur, ac portēti ſimile, quonam modo illa, tam multa, tam exiguo temporis ſpatio deuorauerint. Nam præter cygnorum, anſerū, gallinarum, anatum, & volucrum cuiuſuis generis numerum infinitum, ad tria millia boum & ouium viginti diebus paucis in caſtris luxurioſiſſimè abſūta ſunt.

Inſuper viuariorum vallis ac ſepimentis (in quibus beſtiolæ delectationis cauſa concluduntur) perruptis atque refractis: quicquid vſpiam damarum conſpici aut comprehendi potuit, crudeliſſimè confecerunt. Nihil erat clauſum libidini, non ratio futuri

temporis

temporis adhibita, non iis quæ posteà acciderunt malis prouisum, nulli sceleribus ac nequitiæ termini defixi, sed miserandum in modum dissipata omnia & exhausta fuere. Tantæque ouium passim cædes, reliæ quiq; pecoris trucidationes factæ dicũtur, vt veruex drachma publicè venierit, capitibus atque extis, velut escis contemtissimis fastiditis atq; reiectis, propterea quòd nullus inuentus fuit qui illis in tanta delicatioris cibi copia vesceretur. Quid hic nemorũ vastationes, ac syluarum strages commemorem? quibus radicitùs penè exstirpatis atque desectis, omnẽ eam materiã quæ erat cæsa, aut incendunt, aut (quod multò fœdius fuit) in scelerum suorum sedibus ac latibulis extruendis insumunt. Additur ad hanc tam atrocem licentiam (talium plerumq; factorum semper comes) crudelitas. Hominibus honestissimis ac integerrimis, à fœdissimis belluis, omniq; diritate teterrimis, catenæ iectæ sunt, multisq; manicæ compedésque impactæ, quibus bini pariter reuincti, acerbissimum illum quasi carceris cruciatum ac carnificinam diutissimè pertulerunt.

Custodes etiam ad omnes portas & vrbis introitus dispositi, ne qui fortè elaberentur, insiq; vicorum submagistri vti viderent ne quis vrbe excederet. Magniq; agrestium ac rusticanorum hominum greges coacti, quibus præstitutum vt certis in locis vigilias & excubias agerent. ijs à vicorum submagistris (vulgò Constabularij dicuntur) omnia ad libi-

dinem

dinem & luxum ſuppeditabantur, adeò vt tantis, ac tam profuſis ſumptibus multi honeſti viri re familiari valdè comminuti, funditùs conciderint. Odium autem quod incluſum in animo, in omnes concepe runt, id crudeliſſimè in eos quos comprehenderant expromſerunt.

WHARTONVS erat quidam (magno vir praditus animo, ſed minimè populari:) hunc dum in Ciuitatem ad carcerem & vincula duceretur, ingens ſeditioſorum caterua circumſepſit atq; muniuit, deſtinata videlicet quæ ei præſidio foret, ne fortè in itinere à veſana multitudine violaretur. Sed nec Whartonum ſua probitas & fides, nec ſeditioſorum diligens cuſtodia ſatis tutata eſt. parumq; abfuit quin interficeretur, multiq; mortem illi & interitum intentarunt, corpuſq; illius plurimis in locis haſtilibus & ſpiculorum cuſpidibus perſtinxerunt.

Accidit autem vt eodem penè tempore quo hæc fiebant, contendẽtibus illis ad vrbem, MOVLTONVMQVE quendam inſtar captiui trahẽtibus (cuius odio deflagrârant immani, quòd eſſet vaferrimo ſemper, venaliq; vir ingenio (erat enim leguleius) necnon ſicuti opinio fuit diris votis, ac horrendis ſuperſtitionum portentis inferorum manes elicere conſueſſet) dum itaque (vti ſupra dictum eſt) Moultonum hunc mulierculæ cuiuſdam indicio, in ſyluis paulò antè repertum, atque ex vepribus & dumetis, in qua ſe melioris inops conſilij recens abſtruſerat extractum,

extractum, omnibusque oneratum probris & contumelijs secum pertrahunt, cœlum non sine ingenti audientium stupore, horribili tonitru contremuit, maximiq; imbres grandine permisti defluxerunt, terraq; repẽs labes facta est, vtpotè quæ non longè à Quercu (quam Reformatoriam appellarunt) in immensam altitudinem desedit. Cæterùm tantum abfuit, vt ad hæc veluti diuina prodigia expauescerent, vt iam perindè ac si cœlesti voce incitarentur, ardentiores ad omne nefas, & multò quàm antea fuerant inflãmatiores exstiterint.

Neq; porro minori tempestate conflictatæ sunt nobilium mentes, quos agrestes sæuitia insigni, atq; feritate detestabili furentes, catenis iniquissimè cõstrinxerant: qui omnes aut mortem quotidiè pertimescebant, (qua quidem nonnulli affecti dicuntur indignissimè) aut ipsa morte diriora tormẽta, & quæcunq; ab impurissimis latronibus cogitari potuerunt teterrima. Etenim nonnulli ac si quid nefãdi sceleris admisissent, in furiosissimorum hominum cœtum, tãquam ad iudicium vocati, ac pro Quercu cõstituti, veluti è vinculis causam dicere cogebantur. Cumq; ab imperita & agresti multitudine quæsitum fuisset, quid de illis fieri decreuissent vno veluti ore ab omnibus conclamatum est SVSPENDANTVR, SVSPENDANTVR. *Denuò scisscitantibus illis, cur hac tam truci voce vterentur in ignotos præsertim, & nullius noxæ aut criminis cõscios ferociter responsum est: vsurpari illam vocem ab alijs, & ideò*

se

vicissim eâdem vsuros. Neq; præterea quod dicerẽt habebant : quanquam alij hanc huius crudelissimi clamoris rationem adferebant : Nobiles eos esse, & ideò de medio tollendos, scire enim se, quòd si quando illi victoria potirẽtur, omnes sibi sint cruciatus, acerbitatesq; perferendæ. Proin præstare vt his quos iam in potestate haberent, vita priuatis, ipsi demùm otio ac securitate perfruantur, quam illis vsuram vel vnius horulæ ad viuendum largiri, à quibus postmodum veluti pecora trucidarentur. Adeò inuisum iam nobilium nomen erat & exosum, vt furore panè plusquàm hostili flagrantes infimæ sortis homines, nõ nobiles tantùm, sed ipsam etiam (si fieri posset) Nobilitatis stirpem delere funditùs & exscindere concupierint.

Hunc igitur in modum cùm omnis propè Regia Norfolciensis huius funestissimi tumultus tempestate perculsa & afflicta fuisset, ac iam viginti ferè à primo dies elapsi interfluxissent, nihilq; interim vbique fieret, nisi vastationes, incendia, rapinæ, omniaq; non modò miseranda visu, verumetiam auditu horrenda: tantus omnibus bonis, ac præcipuè ciuitati Norwicensi dolor inustus est, vt ad hunc patriæ tam lugubrem aspectum assiduo penè mœrore ac lachrymis contabuerit. Resistere autem huic tantæ improbitati, per illam quæ tum vndique in castra cõuenerat perditorum hominum multitudinem nequibant, & (quod caput erat) arma sumere imussu Regis, lege (vt antè diximus) prohibebantur. A cuius

cõsiliarijs quoniam nihil adhuc perlatum fuit, vrbis perniciem & deflagrationem quotidiè metuentes, abscissa propemodum omni salutis spe, omnisq; cõsilij inopes, intra muros permanserunt.

Erat autem tum fortè Londini Leonardus quidã Sothertonus, (ciuis Norfolciensis) qui illinc velutè flamma, & communi incẽdio vitæ conseruandæ causa profugit. Hunc Regij Consiliarij ad se accersunt, & de illo omnia seditiosorum consilia sciscitantur & exquirunt. Sothertonus quæ sciret enunciat: ingentem nefariorum colluuiem confluxisse, ab his omnibus locis calamitatem ac pestem inferri, numerum indies augeri: nihil sceleris fingi aut excogitari posse, quod non conceperint: homines optimos comprehensos, ac
" in vincula ductos: domos direptas: agros vastatos:
" syluas incensas & prostratas: pecus omne trucidatũ:
" prærabie ac furore nihil vspiam intactum inuiola-
" tũmue relictum: sed populari petulantia cuncta con-
" fundi: vrbi etiam nisi celeriter consultum & prouisũ
" sit interitũ & ruinam impẽdere. Sperare se tamen,
" atque etiam inaudisse, permultos esse in illis ca-
" stris ac scelerum speluncis, qui proposita sibi apud
" Regem veniæ ac impunitatis spe, arma abiecturi
" sint, & Maiestatis Regiæ clementiam amplexu-
" ri.

" Obsecrare ergo, & vehementer ac demississimè
" contendere, vt publico edicto Rex fidem astringat
" regiam, fore omnibus impunè, qui ab illis castris
" discesse-

discesserint, posse ita facilimè hos cœtus dissipari. »
Comprobato consilio, ex Regis authoritate & sentẽ- »
tia statuunt atq; decernunt. »

Maiestati Regiæ placere, ægrotæ atque afflictæ »
Reipublicæ primo quoque tempore medicinam adhi- »
bere, quò à periculosissimis illis motibus, & seditio- »
num malis, quibus eã perfidiæ pestis inuoluisset ex- »
piata conualesceret. Veruntamem omnia experiri »
velle, prius quàm id quod in illa contactum esset at- »
que pestiferum (ne reliquo corpori noceret) ampu- »
taretur. Proin decreuisse: pœnas iam diu improbita- »
ti, nequitiæ, sceleri, ac libidini debitas tantisper »
differi: spem salutis cunctis (si incœpto absisterent,) »
denuntiari: fidem Regiam interponi: omnem seueri- »
tatis metum præcidi: dummodò possint clementia & »
mansuetudine ad pacem sanitatemqué perduci. His »
igitur hunc in modũ deliberatis, atque statutis, hoc »
solummodò restabat, vt hæc Maiestatis Regiæ mi-
sericors clementia plebi è vestigio proponeretur.
Fecialis ad id missus, (qui eodem Leonardo Sother-
tono comite ad celeritatem adhibito) magnis itine-
ribus Noruicum contendit. Illinc in castra continuò
progressi, caduceator propter Quercum stans fecia-
libus indutus insignibus, clara voce ita vt omnes,
qui vndique circumfundebantur loquentẽ exaudie-
rint, Audite (inquit) audi tu scelerũ signifer Kette, »
& vos omnes quotquot adestis, audite. »

Etsi mos maiorum, & huius imperij dignitas, & »

" *nominis Regij Maiestas postulare videantur, vt vos*
" *qui nefaria in patriam arma sumsistis, & in apertã*
" *coniurationẽ at latrocinium vosmetipsos coniecistis,*
" *hostium instar ferro igniq́, profligati, debitas scele-*
" *rum quæ concepistis pœnas sustineatis : tamen Ma-*
" *iestatis Regiæ tanta mansuetudo est atque clemen-*
" *tia, vt quos ad pœnam & supplicium sceleris atroci-*
" *tas deposcat, eos tamen pro singulari & incredibili*
" *benignitate conseruatos velit & incolumes. Proin*
" *iubet vt protinùs omnes arma deponatis, castra hæc*
" *& furorum cubilia relinquatis, domum decedatis,*
" *errori si id feceritis veniam largiri, ac omnium quæ*
" *suscepistis flagitiorum impunitatem. Sin autem in*
" *sententia, & perfidiæ proposito permanseritis, se cun-*
" *cta maleficia & scelera quæ patrastis, acerrimè (vt*
" *par est) ac omni supplicio vindicaturum : nec pas-*
" *surum hæc quæ resecanda sunt & sanari non pote-*
" *runt, longiùs ad perniciem totius Regni dimanare.*

Hoc cùm magna (vt antè dictum est) voce promulgasset : ab omni pænè multitudine conclamatum est, REGIAM MAIESTATEM DEVS TVEATVR INCOLVMEM. *Is clamor cùm identidẽ redintegraretur, multi in genua prouoluti, hanc tantam & tam inauditam clementiam ac misericordiam laudibus ac lachrymis prosecuti sunt. Quam quidem omnes tum proculdubiò complexi fuissent (vt potè quorum animi pudore at metu sensim infringi, ac remollescere cœperunt) si non scele-*

lestissima

lestissimæ nonnullorum voces, Kettiq; adhortationes perfidiosissimæ, eos à pacis cogitatione auersos, denuò ad sceleris consensionem retraxissent. Ille asperè sanè & ferociter respondit.

Cõsueuisse Reges flagitiosis hominibus non innocuis & integris veniam dilargiri. Nihil se meritũ, nec vllius sibi culpæ conscium, proin eam vt inanem ac suis rationibus inutilem aspernari. Exin conuersus ad suos rogat ne se deserant, néue animo concidant, sed meminerint quo se fœdere obstrinxerint: paratum se qui vitam (si opus sit) pro eorum salute profunderet.

Hæc vbi rabidè iracundeq; dixisset: Fecialis homini turpissimo, & tot perfidiæ notis insigni, imminutæ Maiestatis crimen infligit, eumq; proditorem teterrimum, & summi sceleris reum pronũciauit. Iussitq; deindè Ioannem Petibonium Prætoris ensiferũ, latroni profligatissimo actionem perduellionis intendere. Enimuerò tum tumultuari cœptum est, vtrisque hinc atq; illinc, nõ minùs pertinaci, quàm pernicioso certamine contendentibus. Fecialis videns iterum labare plebis animos, (quos anteà pacis denunciatione nonnihil emolluerat) & Ketti verbis velut furiarum stimulis instinctos, à salute quã priùs amplexuri videbantur, denuò ad scelus nequitiamq; deuolui, castris excessit. Multiq; eum mortales consecuti sunt, qui abiectis prioribus consilijs armisq; depositis, Regis se fidei permiserunt. Hij omnes vnà cum Prætore & Thoma Alderichio in ciuitatẽ ingressi.

greſsi.

Prætor continuò portas obſtrui iubet, præcipuè verò eam quæ Epiſcopalis ſeu Pontificia nuncupatur, quòd illac è veſtigio (niſi celeriter huic conſilio obuiã itum foret) ſeditioſi in oppidum irrupturi viderẽtur. Ad hæc omnes generoſi quos anteà diximus à Kettianis in carcerem coniectos, leuati vinculis & è cuſtodia emiſſi fuere, adhibitiqúe in concilium quæſitumqúe ab illis quî potiſsimùm hoſtium impetus retardari poſſent: rationeſq; initæ vrbis defendendæ, ne perditorum introitu ac militari licentia omnia diriperentur. Placuit ad extremum ciuitatem quaquà verſus munire, portas muroſq; aſſeruari, cuſtodias vigiliaſq; diſponi, itinera intercludi, quò commeatus ſupportandi facultate vndique inciſa atq; præreptâ, coniuratorum animi cibariorum inopia, & bellandi tædio perculſi langueſcerent.

His de rebus, dum remotis arbitris multa inter ſe (vt fit) deliberabundi ac conſultantes egiſſent, trepidi à portis nuntij ſuperueniunt, rem atrocem incidiſſe prædicantes. Multos eſſe ciuium qui ſe horum ſcelerum communione conſtrinxiſſent: ex his nõnullos, è Kettianis militibus quamplurimos in vrbem intromiſiſſe. Cùm hoc tantum repentini periculi præter opinionem contigiſſet, & ſeditioſi in vrbem ingreſsi, cuncta protinùs direpturi viderentur, iſquè metus omnium animos perſtringeret, à primoribus vrbis facilè impetratũ eſt, vt generoſi denuò in carcerem concluderentur. Ne fortè conſpectis iis in

ciuitate

ciuitate ſolutis, ac dẽptis (quæ recens iniecta fuere) vinculis, ſeditioſorũ animi furoris & irarũ pleni, ad cædẽ & ſanguinẽ irritarentur. Conuocati omnes atq; iterũ in cuſtodiã concluſi. Poſteà tamẽ intellectum hoſtes vrbe qua venerãt egreſſos in caſtra receſſiſſe. Prætor ac primores hoc periculo defuncti, videtes coniuratos, omniũ iã fortunis vndiq; perniciẽ ac interitũ machinari, totos ſe in ciuitatis cõſeruãdæ cura deſigunt. Quamobrẽ decẽ maioribus tormentis verſus hoſtes in foſſa (quæ caſtello circunditur) directis, & ad vrbis defenſionẽ (ſi qua vis ac impetus fieret) quibuſcunq; in locis, aptè diſpoſitis: ac potiſſimum in iis quæ vetuſtate iam delapſa corruerunt, cuſtodias vigiliaſq; conſtituunt. Quibus protinùs ibidem conſiſtere iuſſis, vt ſi qui nocturnus hoſtium terror incideret, continuò lapidibus, teliſq; diſiecti, vrbe portiſq; depellerentur: cæteræ multitudini imperatum, vt ad quemuis euentum armata omnis in foro, & in tranſuerſis viarum diuerticulis præſtolaretur.

Et quoniam apparebat tormenta (quæ quidem priùs diximus) in foſsis & murorum ruinis defixa, nec hoſtibus multum obfutura, nec ciuibus quicquam ad defẽſionem opis allatura, ideircò Prætoris imperio ea omnia in planiciẽ confeſtim deuecta ſunt: iiſq; prata quæ inferiori vrbis parti ſubiacẽt, celeriter inſtructa. Noxq; ferè tota quæ inſecuta eſt, crebris atq; infeſtis vtrinq; tormentorũ emiſsionibus abſũpta fuit. Poſtero die cõiurati viciſsim cernẽtes, ex illo nocturno tumultu, plus vrbi terroris quã cladis illatũ (pro-

tereà quòd glandes quæ è bombardis emitterẽtur, ciuitatem transuolantes, damni nihil fecissent) tormẽtis quæ habebant omnibus è summo in planum deductis, ijsq; ad radices montis defixis, vrbem quatere de integro cœpere.

Verùm enimuerò quòd non ita multò post totis castris cibariorum inopia premi cœptum est, quò commodiùs posset ex finitimis locis commeatus subuehi, inducias cum ciuibus paciſci decreuerunt. Iacobum quendam Guilielmum, & Radulphum Suttonum, homines impuriſsimos, ac de infima ciuium Noruicensium plebe postremos, huic muneri defungendo præfecerunt. Hi protinùs illinc cum inducia-
rum vexillo ad portas profecti, & permiſſu ciuiũ ad Prætorem & Senatum introducti, demùm ita locuti traduntur.

« Dux noster Kettus, eiusq; commilitones, ab hac ci-
« uitate & à vobis Prætore patribusq;, paucorum die-
« rum pacem & inducias deposcunt. Quò sibi per vrbẽ
« (ſicuti nuper fieri consueuit) detur commeatus sup-
« portandi facultas. Quam vtiq; niſi conceſſeritis, per
« vim se in oppidum irrupturos, atque cuncta ferro flã-
« maq; deleturos denunciant. Prætor ad hæc respõdet.
« Proditores esse illos teterrimos, perfidia & omni in-
« audita nequitia coopertos. Nolle se eorum iniquiſsi-
« mis postulationibus quicquam deferre: nec ſi velit
« licere quidem: præsertim illis (hominibus qui vnquã
« post homines natos exstiterunt) turpiſsimis. Tot
« illos, tanta ac tam intoleranda facinora ſuſcepiſſe,

vt

vt non ſolùm è ciuitate excludendi, verumetiam ex finibus humanæ naturæ (ſi fieri poſſet) penitùs exterminandi viderentur. Regiam ab illis Maieſtatem imminutam, patriam vaſtatam, Noruicenſem pænè omnem ciuitatem quaquauerſus depopulatã, ſibi poſteriſq; æternum ſceleris & perfidiæ dedecus inuſtum: per vim ac nefas vexata, polluta, perturbata, diſſipata omnia: tamen vt in ciuitatem admittantur rogare? vt ſint eo iure quo ciues? fructuum ac munerum diuinorum participes? inopiæ demum vt ab his ſubueniatur deprecari? Quid? non pœnitere ſcelerum quibus ſe obſtrinxiſſent? ne pudere quidem? Enimuerò ſtatuere non poſſe ſceleratioreſné ſint qui hæc patrarint, an impudẽtiores qui iſtæc poſtularint: ſperare verò ſe à Prætore, & eodem Prætore, quem nuper carceris contumeliam perferre coegerunt, ab hac vrbe, quam funditùs excîſum cupiunt, à populo Noruicenſi, cui vim ac belli terrorem vndique intulerunt, annonam & commeatum (veluti furoris pabulum) ſubminiſtratum iri, cuius tandem dementiæ videri? Eant ergo eant, & Ketto conſceleratorũ flagitioſiſſimo duci hæc renuncient. Ciues Noruicẽſes Regiæ Maieſtati, non patriæ proditoribus & belluis immaniſſimis obtemperaturos. Sene tanti quidem facere pericula & terrores, quæ vrbi ab illis intẽderentur. Irrumpant, vaſtent, deleant, exſcindant, proſternant, depopulentur omnia, dummodò vindicem ſciant & vltorem Deum, & tantorum tandem conſcientia ſcelerum perhorreſcant. Daturos enim pro-

"culdubiò eas propediem pœnas, quas ipsimet sibi furo-
"re & amentia contraxissent.

His in castra ad Ketiũ & comites celeriter perlatis, impotenti ira odioq3 (tanq̃ œstris) perciti, clamore truci ac infesto vociferantes de colle decurrerunt. Cumq3 propè ad portas peruenissent, omni vi cõnixi sunt in vrbem irrumpere, sed telis sagittisq3 repulsi, eo conatu destiterunt. Ac tum quidem quicquid erat tormentorum, (quæ anteà diximus in subiectos vrbi cãpos delata) id omne à nostris in hostes effusum: cæterùm in magna tormentarij pulueris inopia, & libratorũ imperitia, parùm aut nihil sanè profectum. Veruntamen multi sagittis confixi vulnerabantur, quæ cùm in terram frequentes decidissent, puberes rusticani (quorũ erat numerus ingens) & alij de fece homines sordidissimi eas legere solebãt, & ad hostes deferre. Adeoq3 omnes exarserant animis, vt inermes etiã pueri (perinde ac si vis quædam illos à sensu mentis abstraxisset) passim discurrentes, omni verborũ contumelia nostros lacesserent.

Addebatur huic maledictorum importunitati facinus odiosum & immane. Etenim (legentibus tamen horos præfandus est) quidam ex illis clunibus detectis, & ad ludibrium in nostros versis, truci clamore ac vlulatu cuncta complentes, palàm spectãtibus omnibus, ea fecerunt, quæ ab homine verecundo scribi non possunt. Sed natibus transfectis, nonnulli dignas (vti par fuit) sceleris pœnas dependerunt.

Quin-

Quinetiam ferunt quosdam ex illis sagittas in corpore defixas (horrendum dictu) ipsos suis manibus è recenti vulnere extraxisse, illasq́ (ita vti erant) cruore & sanguine stillantes, ex coniuratis ijs qui circumsteterant dedisse, quo in nostros refunderentur. Tanta inerat in omni penè ætate cuncta delendi libido, tantaq́ sanguinis hauriendi sitis.

Intereà verò cùm ex altera parte ciuitatis horribilis clamor oriretur, AD ARMA, AD ARMA, „
Ciues si viri estis AD ARMA: *hostes in vrbe sunt:* „
illucq́ omnes de repentè, vti trepidantium mos est „
vbi maximè tumultuantium voces strepitusque exaudiuntur, concurrissent: coniurati de superiore loco omnia contemplãtes, & oppidanos raros in muris, & portis conspicati, extemplò eam partem ciuitatis quam defensoribus vacuam vidissent inuadere statuerunt. Ibi pueri (de quibus anteà diximus) & ex illa colluuione agrestium, turba ingens, rem ausi sunt non modo visu mirabilem, sed & auditu profectò incredibilem. Namquè inermis cæteróqui multitudo, pars fustibus & gladijs, alij baculis, sparis, aut lãceis, (vt quemq́ casus armauerat) instructa, in fluuium quo vrbs ad portã (quæ Episcopalis appellatur) alluitur, præceps se demisit. Quem intrepidè tranantes & ad portas tumultuosissimis clamoribus vociferabũdi deuolantes, omniũ mentes tanto horrore perfuderũt, vt nullius pænè exsisteret qui nõ eũ diẽ sibi vrbiq́ fatalem futurum crediderit. Itaque pauidi ferè omnes

con-

consternatiq3 diffugerunt, & qua cuiq3 dabatur iter in domuum ac tectorum abdita (vrbem mdefensam relinquentes) obrepserũt. At coniurati omnibus portarum claustris reuulsis, quodcunque tormentorum & instrumẽti militaris reperibant è ciuitate in castra transportarunt. Ibi cum è nostris nõnulli ex harum rerum miserabili intuitu, dolore ac commiseratione perculsi, voce flebili, ac oculis lachrymantibus, hanc tantam à ciuitate calamitatem deprecarẽtur: à pueris, & rusticanis, qui ludibundi circumsteterũt, proditores appellati, ac indignissimum in modũ omnibus probris maledictisq3 lacerati, afflictiq3 fuêre.

Sed enim patefactis iã (vt anteà diximus) portis, cùm omnia seditiosorum audacia violentiaq3 permiscerentur, (frequentes enim è castris in oppidũ conuenerant) Fecialis (namque adhuc in vrbe fuerat, necdum dies vltima à Maiestate Regia multitudini præstituta, ante quam liceret sine fraude ab armis discedere præterierat) cum Prætore in forum magna multitudine ciuium circumfusus deuenit. Ibi Regis "nomine denuò denuntiat vti arma deponant, castra "relinquant, domum quisque suam decedant, miseri- "cordia & clemẽtia Regia supplices vtantur, si fece- "rint saluos se fore, omnisque supplicij securos: alio- "quin nihil aliud nisi acerbissimos cruciatus, mortem, "extrema denique omnia expectanda. Huic cùm dixisset arroganter sanè & asperè à seditiosis succla- "matum est: Iret in malam pestem malumque cru- "ciatum, cum suis inanissimis pollicitationibus: insa-

nire

ntre ipſum qui talibus blanditijs in illorum aures in-
fluens, conſideret eos verborum lenecinijs delinitos,
oppreſſos ad extremum & circumuentos iri. Iſt inſ-
modi verò miſericordiam deteſtari ſe, & modis om-
nibus execrari, vtpotè quæ extrinſecùs lubrica &
inani impunitatis obiecta ſpe, penitùs omnem inſidio-
ſiſſimè ſalutem præcidat & amputet.

Fecialis videns cunctos furori & nequitiæ, veluti
mãcipatos iam & addictos, nec poſſe vllo vel ſuppli-
cij metu, vel impunitatis ſpe, de ſceleris cogitatione
deduci: infectare, vrbe confeſtim excedens, ad cu-
riam reuertitur. Protinùs à cuius diſceſſu coniurati
Leonardum Sothertonum ad ſe acciri iubent, quò illi
vincula injcerẽtur, quòd is ſe comitem feciali in i-
tinere cõiunxiſſet. Sed Sothertonus re intellecta, ve-
ritus ne inſana & turbulenta plebs, odio quo in om-
nes bonos incitata flagrabat, corporis illi carnificinã,
necemué infligeret, clanculùm apud ſuos in ciuitate
delituit. Deinde Kettus Prætorem, Robertum Wat-
ſonum, Guilielmum Rogerum, Ioannem Homerſo-
num, Guilielmum Bramptonum, & alios complures
comprehenſos, è ciuitate in caſtra, atque inde in cu-
ſtodiam deduci iubet. Quamobrem omnibus cate-
næ iniectæ, atque in montem Surræium concluſi, ibiq;
ad extremum cõiurationis diem in carcere, ac vin-
culis detenti, tandem pars dimiſſi, pars verò crudeli-
ſſimè interfecti ſunt.

Dum hæc & huiuſcemodi in caſtris tumultuoſiſ-
ſimè geruntur, Kettus cernens eò iam rẽ deuolui, ne-

ceſſe

ceſſe vt ſit illi aut cruenta victoria contra patriam potiri, aut dignum moribus factiſq; ſuis exitum propediem ſortiri, commodiſſimum ſuis rationibus exiſtimauit ſi copiæ quàm poſſent maximæ contraherẽtur. Quamobrem omnes vndique qui conciri poterant fugitiuos, & homines tam à re quam à ſpe derelictos, præmijs ac pollicitationibus illexit, vt ſeſe ad ſocietatem huius exſecrandi tumultus adiungerent. Itaque incredibile eſt, quantam & quam pænè innumerabilem facinoroſorum hominum multitudinem de repentè conflauerit.

Attamen ciues indignè ferebant Prætorem ſuũ virum optimum & integerrimum, á flagitioſiſſimis ſicarijs, & ſanguinis vt iam videbatur ſitientiſſimis vinciri, & vinclo inſuper carceris contumeliam & dedecus impingi. Metuebant etiam ne tandem ab illis crudeliſſimè per vĩ morte mulctaretur, eò quòd pars eorum multa atrocia illi minitarẽtur: pars verò honeſtiſſimi viri nomen ſcurrili & inſulſo ridiculo, necnon periculoſo (vtpotè quò mors illi quodammodò portẽderetur) perſtrinxiſſent. Nam cùm CODDVS *nominaretur, piſcis autem ſit marinus, quem noſtrates* ℂ𝔇𝔇 *appellant (qui idẽ Latinis Capito nuncupatur) in Prætoris optimi nomine ac periculo anſas ad riſum & ludibrium alter alteri inuicẽ ſubminiſtrantes, identidem clamare & vociferari ſolebant, vti omnes craſtinò conuenirẽt, Capitonis caput eo die publicè in caſtris denario vænum iri. His de cauſis veriti, ne a ſeditioſis grauius aliquid in eum ſtatue-*

ſtatueretur, Prætoris de ſe optimè meriti periculo mirificè perturbati, ad Thomam Alderichium certatim de hac tam importuna audacia, violentiâque effrænata queſtûm venerunt. Fuit hic Alderichius vir (vti antè diximus) omnibus vehementer charus, tantumque prudentia, grauitate, & modeſtia perfecit (erat enim impigro atque acri ingenio) vt immaniſſimis etiam hoſtibus illius nomen plerunque terrori exſtiterit. Nam cùm illum omnes magnoperè dilexiſſent, ſingularem eius humanitatem ac modeſtiam admirantes, in tantam (etiam apud ſeditioſorum principes) authoritatem breui peruenit, vt eius neque conſilium, neque incœptum vllum fruſtrà vnquam ceciderit. Itaque multis bona, quæ per vim à conturatis adempta fuerant, illius opere reſtituta ſunt, multiqùe Rebellium peſtiferi conatus eius prouidentia ac ſedulitate reſtincti. Hic igitur cùm quanto in diſcrimine Prætoris ſalus ac uita verſaretur intellexiſſet, indignitate rei permotus, ad Kettum in caſtra perrexit, monet vti Prætori vincula adimeret, eumq; è cuſtodia liberaret. Ad hæc Kettus cùm veluti cogitatione defixus, verbum nullum emiſiſſet: Alderichius clara voce inclamãs, Non te pudet proditor nequiſſime, non dico hominem innocẽtiſſimum, ſed Prætorem, id eſt Regiæ Maieſtatis vicarium fideliſſimum, carcere ac vinculis coercere? Adeoné ferox & cruentus es, vt cum omnium fortunas ac bona luxu ac libidine diſſipaueris, ſatiari

ſatiari iam non potes nec expleri, niſi ad extremum innocentium etiam ſanguinem exſorbueris? Quin ergo homo omniũ quos terra ſuſtinet ſceleratiſſime, eum confeſtim de cuſtodia deduci iubes?

Hæ verborum tanquam faces acriter in Kettum intentæ, tantã ſiue hominis qui loquebatur verecũdiam ſiue (quod veriſimiliùs eſt) ex ſcelerũ conſcientia metum ac formidinem incuſſerũt, vt quod alij precibus atq; omni cõtentione impetrare requiſſent, id ille minis ac orationis grauitate perfecerit. Cuius prudentia Prætor libertatem adeptus etſi prorſus omnem illã turbulentiſſimi temporis procellam deuitare nõ potuerit, tamen & carceris acerbitatem & vitæ periculum fœliciſſimè ſubterfugit. Quãobrem facta illi vltrò citroque in ciuitatem commeandi facultate, multis poſteà ciuiũ in ijs malis quæ tum vrbem oppreſſere ſubſidio fuit illius probitas & induſtria. Et quoniam omni tempore ad gubernacula ciuitatis ſedere nequibat (quippe qui plerumq; perpetuò in hoſtium caſtris commorari coactus fuerat:) Auguſtino quodam Stuardo (in illius locũ ſuffecto) emnẽ vrbis defendẽdæ curam (ſe abſente) delegauit. Qui quidem aſcitis ſibi Henrico Bacono, & Ioanne Atkinſono vicecomitibus, ciuitati diligẽtiſſimè præfuit, omneſq; oppidanos (niſi qui forte immaniores extitiſſent) in officio facilè continebat.

Cæterùm hic operæpretium erit referre, quam triſtes & tetrici Iudices extiterunt in eos quos captos, & in vinculis detentos, omni ludibrio & ignominia

minia crudelissimè afflixerunt. Quorum tanta fuit atrocitas & nequitia, vt quos singulari primum & inaudito scelere violasset, eos ad extremũ diuexatos, & acerbissimis affectos iniurijs, stolidissimæ & insanissimæ multitudini iugulandos obiecerint. Indicta namq; die, quo comprehensi veluti rei in publicum producerentur, vt prœpostero Iudiciorum more quæstio de ijs exerceretur: Kettus palam omnibus inspectantibus, arborem quam vocãt REFORMATORIAM conscendens, (ordine vnoquoque nominatim citato) ab assecłis & scelerũ conscijs qui circumfusi steterunt, sciscitari solebat: quidnam illis videretur? Ibi furiosissimi nebulones, de vita innocentissimorũ hominum quæsitores ac iudices constituti, si nihil de reo comperissent, BONVM VIRVM eum esse, BONVM VIRVM, & absolui debere conclamarunt. Sin autem tenuissimæ alicuius leuissimi criminis suspitione, illius qui nominaretur fama perstricta fuisset, aut quæuis vel minima res reperiretur, qua fortè quempiã ex illis aliquando offendisset, SVSPENDATVR, SVSPENDATVR, respondet aliquis: cuius voce cæteraplebs veluti furijs instincta, tametsi hominẽ albus aterue fuerit penitùs ignoraret (vtpotè cuius antea nomẽ ne audierit quidẽ) tamen idipsum semper voce ferari consueuit.

Atque hunc in modum proditores pestiferi, non iudicio & ratione ducti, (ne sui fortè dissimiles viderentur) sed cæco ac repentino quodam impetu animi (quasi turbine) correpti, vno persæpè verbo,

& vesano veluti furoris nutu, viris integerrimis miserrima & crudelissima supplicia influxere. Tanta certè vis morbi, atq; vti tabes omnium animos inuaserat, vt alienatis propè sensibus, & tantorũ scelerũ atrocitate stupefactis, omnia iura diuina & humana immani furore & audacia polluerint.

Paucis ab illo tempore interiectis diebus, rei militaris præfectura, belliq; administrandi potestas, GVLIELMO PARO *Marchioni* NORTHAMTONIENSI *ex imperio regis delata est: iussumq; vt protinus Norwicum cõtenderet, daretq; operam vt quoniam hij tanti furores, clementia ac mansuetudine consopiri nequiuissent, Kettianos perinde ac proditores & Maiestatis Regiæ hostes immanissimos ferro flammaq; persequeretur. Northamtoniensis ex sententia rebus omnibus paratis compositisq;, cum mille quingentis militibus (sicuti imperatum fuit) paulo post Norwicum proficiscitur. Erant autem illo in exercitu reguli duo, Sheffeldensis, & Wentworthensis, præterea Anthonius Denny, Richardus Southwellus, Radulphus Sadlerus, Ioannes Gatesius, Thomas Pastonius, Henricus Bedingfieldus, Ioannes Suliardus, Gulielmus Walgrauius, Ioannes Cutzius, Thomas Cornwalleysius, equestris ordinis viri, Ad hæc Armigerorum, & Generosorum, tam Anglorum quàm Italorum, caterua spendidissima.*

Cum iam mille tantùm ab vrbe passuum abes-

set

set Marchio Northamtonienſis, fecialem confeſtim præmiſit, qui vrbi (ſicuti mos eſt) niſi paruiſſet, bellũ indiceret. A quo omnibus quæ fieri conſueſcunt, in ciuitate promulgatis atque tranſactis, Auguſtinus Stuardus vrbis Proprætor, celeres protinùs nuntios demittit, qui Coddo Prætori renuntiarent, (inuitiſſimum hunc anteà diximus in Ketti caſtris detentum) quæ mandata Regio nomine ciuitati à Marchione Northamtonienſi proponerentur. His eadem qua profecti ſunt celeritate reuerſis, demùm feciali à Prætore reſponſum. Nihil ſibi vnquam in vita accidiſſe triſtius, quam hæc mala quæ à ſeditioſiſſimis hominibus inuecta, patriã ac ciuitatem Noruicenſem, antea florentem, iam penè inexpiabili ſcelere peruertiſſent. Se (quantum humana ratione prouideri potuit) omni ſpe adnixum, vti hy tumultus primo quoquo tempore profligarentur: nequiſſe tamen præ ſcelerum rabie quibus implicatæ omnium mentes tenerentur. Carceris ſe terrorem, mortis pericula, omnes denique acerbitates pertuliſſe, ac nunc quidem ab hoſtibus vndique circumſeptum teneri, alioquin (ſicuti par erat) ad Marchionem Northamtonienſem conſeſtim vẽturum fuiſſe. Verũ enimuerò quò facilius ciuitatem in officio cõtineret, eius tuendæ auctoritatem Auguſtino Stuardo homini induſtrio delegaſſe, ne forte ſe abſente, plebs per imprudentiam laberetur. Vrbem in illius poteſtate futurã, ſeq́ (ſi Kettus permitteret) libenter ad eum iter in caſtra ſuſcepturũ, & ſuos, ciuitatiſq́ fortunas

" eius fidei permissurum. Hijs properè per fecialem ad
" Northamtonien sem delatis, Proprætor continuò cũ
" vicecomitibus ac magno ciuiũ numero subsecutus,
" in Northãtonien sis castra cõcessit. Cui ense traditio
" (insigne is est Regiæ maiestatis & potentiæ, atq; in
" maximis Angliæ ciuitatibus prætori semper præfer-
" ri consueuit) demonstrat quemadmodũ Prætor ipse
" (quòd maximè in votis erat) venire nequiret, se ta-
" men atq; primores ciuitatis suæ adesse, qui vrbem, se,
" suaq; omnia in fidem atq; potestatem Regiam trans-
" daret: fateri permultos oppidanorum exstitisse, qui
" deterreri nõ potuerint, quin cũ his consentirent, ma-
" ximam tamen optimorũ ciuiũ partẽ in fide ac officio
" permansisse, neq; se cum reliquis coniunxisse, neque
" contra maiestatem Regiam omnino cõiurasse: hanc
" paratam esse, & imperata facere, & eũ exercitum q;
" in ciuitatem accipere. Northãtonien sis oppidanorũ
animos verbis confirmauit, pollicitusq; est sibi ciuita-
tem curæ futuram, magnam se habere spem, fore vti
hij tanti furores, quibus nunc omnia arderent, breui
compescerentur. Quæ cùm dixisset. Southwellio en-
sem tradidit: quem ille (qui honos semper à nostris,
Præfectis regijs antiquo more & solenni defertur)
nudo præferens capite, Northamtonien si in ciuitatẽ
præibat. Qui per portas D. Stephani ingressus, pro-
tinùs indicit, vti omnes ad se in forum conuenirent.
Ibi diu deliberatum, multaq; à multis tam ad vrbis
defensionem quàm ad hostium impetus retardandos
excogitata, Tum vigiliæ in muris, & prò portis ex-
cubiæ,

cubia, omnibusque in locis (si qua fortè infirmiora videbantur) armati ad quemuis euentum collocati.

His constitutis rebus atq; peractis, Northãtoniensis sub noctem, in domum Proprætoris venit : ibiq; cum cætera multitudine Nobilium, ac Generosorum cœnatus est. Peracta cœna, cuncti in illis ædibus, etsi itineris tædio, ac æstu languidi, armati tamen (ne incauti opprimerentur) ea nocte conquieuerunt.

Atque hic casune, an consilio euenit, nondum satis comperi, factum tamen est, vt Itali quidam cum magna coniuratorum manu (multis vtrinque vulneribus acceptis & illatis) confluxerint. E quibus vnus cum intrepidantius se in medios hostes inferret, vir fortissimus, primùm multitudine circumuentus, ad extremũ captus, & ignominiosissima morte affectus est. Nam vestibus omnibus detractis, & armis (quibus indutus erat sũtuosissimis, & affabrè sanè factis) nudum eum (multis tamen prius affectum probris et contumelijs) de Quercu in arce Surriensi suspenderunt. Magnum equidem omnes acceperũt dolorem, ex tam crudeli, ac miserabili morte optimi viri, ac militis præstantissimi, hãcque tam atrocem ignominiam ab illo (si licuisset) pecunia (quanta certè æstimari non potest) libentissimè redemissent. Veruntamen ex huius calamitate, statim initio perspectum, qualis & quàm detestabilis in ijs qui cõtra patriam scelerata arma sumserunt inesset immanitas. Quanquam non ita multò post consilio diuino (neque enim

malos diu consistere patitur inultos innocẽtium profusus cruor) Caymus ipse qui author huius tam diræ crudelitatis exstiterat, eodem genere mortis, etsi nimium seras, dignas tamen tam exsecrabili sanitia pœnas suscepit.

At enim Northamtonienſis nocturnos hostium in vrbem introitus metuens, iussit vt custodiæ, & vigiliæ (quas anteà diximus diuersis in locis dispositas, in muris, & portis, constitisse) acerbiùs, & diligentiùs (quam vulgò fieri consueuit) circumirẽtur. Quò (nostrorum tum oculis tum animis in omnes hostiũ conatus paratis atque intentis) si quæ fortè nocturni tumultus procellæ exsuscitarentur, eorum consilijs facilimè, ac nullo negotio occurri posset & obsisti. Quod quidẽ à cẽturionibus sedulò factũ fuit, cæteriq; omnes milites in foro excubabant, qui magna lignorum strue exstructa, eandem incenderunt, ne si quid fortè contingeret, nostri tenebris & locorum insciti impediti, hostium insidijs, imprudentes, & incauti, circumuenirentur.

Edwardus Warnerus (equestris ordinis vir) & tum tribunus militum (Mareschallum vulgò appellant) tesseram dedit. Thomæ autem Paston, Ioanni Clero, Gulielmo Valgranio, Thomæ Cornwaleiſio, Henrico Bedinfeldio (exploratæ virtutis, atque prudẽtiæ viris) diuersæ vrbis partes ad defensionem ipsius distributæ sunt. Qui omni studio rem complexi, summaq; cum alacritate officio functi suo: tùm huc & illuc, perpetuò circũcursitãtes, nostrisq; nũc voce,

nunc

nũc vultu, nũc labore, & alacritate ipſimet ſua, vim & aculeos addentes, peſtiferos rebellium conatus prudentiſsimis conſilijs anteuerterunt.

Porrò cunctis iam rebus ex ſententia confectis, Northamtonienſis, quiq; cũ illo venerant omnes (ijs ſolummodò exceptis, quibus, vt diximus, propugnandæ vrbis cura incubuit) corpora diurno feſſa labore, quieti tradere conſtituerunt.

Iamq; ſuaui ſopore, noſtrorum hominum membra deuinxit ſomnus, cùm concubia ferè nocte coniurati, ac ſi iamiam in vrbem irrupturi forent, terribili tormentorum tonitru, horrificiſq; omnia circum clamoribus permiſcuerint. Quanquam certè percommodè ea in re accidit, vt ferreæ pilæ, quæ maioribus è tormentis in vrbem diſploderentur, perpetuò ſuprà noſtrorum capita volantes, non magnoperè nocerent, ſiue eas ignis vis, impetuſq;, violentiùs abſtulerit, ſiue libratorum manus infidæ (nam ſunt qui pecunia corruptos putent) tormenta ſua altiùs aliquantulum quam expediret, de induſtria direxerint. Quæ quidem dum hunc in modum (quamuis ſemper ſine damno) creberrimè tamen ab impuris importuniſque latronibus exercerentur, continenti fragore, reboatúque horriſono tantũ terroris inuexerant, vigiles vti noſtri qui in muris, quique in portarum ſtationibus conſtiterunt, (AD ARMA) ſæpiùs conclamarent. Idque cum crebrò fieret (neque enim hoſtes vnquam furere deſtiterunt) Northamtonienſis qui ſe, ſi quid in vrbem tumultuoſius

coniurati machinarentur, protinùs acciri iusserat, à Tribuno militum excitatus, iis quos in exercitu habebat nobilibus ac generosis stipatus, in forum descẽdit. Deinceps quò paucitati atq; infrequẽtiæ militũ prospiceretur, opidumq; facilius propugnari posset, consilium cœperunt huiuscemodi: vti omnes aduersæ ab hostibus portæ, murorumq; ruinæ obstruerẽtur, rati sic nec militem ad mœnia defendẽda defuturũ, si copiæ angustiùs contraherentur, & hostem (sine periculo) vrbis introitu arceri posse.

Rebus his institui iam cœptis, & ad exitum pænè perductis, seditiosi ad vnũ ferè omnes, & rapidissimi torrentis more, è speluncis deuoluti, dissonis cum clamoribus, atq; vlulatibus feris, inconditisqué, ad vrbem decurrerunt. Ibi ferro, ignique portas comburere, atque excindere conantur alij, alij muros cõscẽdere: fluuium tranare nonnulli: multi per loca humiliora, & vetustate collapsa mœnia, in oppidum sese inijcere. Contrà nostri omnia moliri cœperunt: magnaqué vi contendere: ingressum hostem vndique fortiter repulerunt: aduentantem iam, & influentẽ, viriliter represserunt: hastis, sagittis, gladijs, omni telorum genere profligarúnt: eoque rem deduxerunt, vti fractus paulatim atque imminutus irruentium vigor, fluctuare aliquantulum incœperit. Caterùm pugna sit inflammatissimis vtrinque animis, sæua, peratrox, cruenta, (si qua alia) dum in vrbem per vim infundere se niterentur hij, nostri autem illos omni aditu prohibere.

Itaque

Itaque ad horas ferè tres, acerbissimis inter se cõflictati odijs decertârunt, commissumq; acriùs (suprà quam quis crederet) & ardentiùs, diuersis in locis prælium: euentu certè adeò dubio & ancipiti, vt nisi nostrorum hominum ad repugnandum ardor mirificus, Pastonij verò, Valgrauij, cæterorumq; equitum peregregia virtus, & planè inexsuperabilis exstitisset: ea nox nostris procul dubiò vna omnium calamitosissima contigisset. Tanto siquidem furore rebellũ mentes ignitæ atque incensæ fuerunt tantaq; bellandi libidine, vt quamuis mortiferis cõcisi vulneribus, pugna tamen abstinere noluerint, sed semianimes, & suo, atque alieno, immersi cruore, ad extremum vsque spiritum nostris indignabũdi restiterunt. Multi etiam pectoribus ferro transfixis, & fœmorum neruis, atq; poplitibus incisis (horresco referens) genibus innixi tamẽ, tã diris exagitabantur furijs, nostrorũ vt nates atq; crura intermortuis iã pænè manib. & planè exsanguib. cõuulnerarẽt. Verùm enimuerò nostri inclinatam iam tãdẽ hostiũ vim & subdebilitatam animaduertẽtes, impetu adeò vehemẽti sese intulerunt, vti sustinere repugnantes diutiùs, aut consistere nequierint, sed viribus vndiq; protritis atq; contusis, ingenti cum strage suorum (trecenti enim in illa pugna ceciderunt) ex oppido expulsi, reiectiq;, in perinuisa cubilia denuò sese cõdiderint.) Quo nostri prælio defuncti, (paucis ex suis desyderatis, vulneratis verò paulò pluribus) aduersus omnes hostium insidias securi, id quod supererat noctis (su-

 perfuit

perfuit autem non multùm) quieti dederunt.

Craſtinus autem vbi illuxiſſet dies, ex oppidanis nonnulli ad Nor. / amtonienſem detulerunt, permultos eſſe coniuratorum in Ketti caſtris, quorum in animis omnis iam furor reſtinctus deferbuiſſet, hos perfacile & nullo negotio impelli poſſe, vt ab illa conſcelerata perditorũ hominũ ſocietate deſciſcentes, ad officij cogitationem & ſalubriora conſilia ſeſe traduci ſinant. Pertæſum enim iamdiu ſcelerũ quæ perpetraſſent, præſtoq; eſſe ad portas Pockthorpēſes, quatuor vel quinque millia hominum, qui nihil aliud exſpectent, nihil deſiderent, niſi pacem & veniam, quæ ſi iam tandem ab illo proponeretur, cõfidere ſe illos è veſtigio arma abiecturos, & Regiæ ſe clementiæ miſericordiæq; permiſſuros. Northamtonienſis ex hoc nuntio, incredibili ſanè lætitia ac voluptate perfuſus eſt, vtpote qui maluerat facilem & incruentam reportare victoriam, quam (etſi perduelles eſſent & nocentes) lugubrem tamen, & ciuili ſanguine reſperſam. Fecialem vnà cum Tubicine cõfeſtim dimittit, iubet fidem vti Regiam interponeret, impunè fore omnibus qui ab armis recederent. Hi continuò ad portas Pockthorpenſes progreſſi, neminem tamen illic inuenium. Verùm fecialis buccina ſignum dat, ad quod cũ ab hoſtibus effuſiſſimè de Monte decurſum eſſet, Flotmannum quendam (hominem ferum & immanem) conſpicatus, (princeps enim de colle deſcenderat) clara voce fecialis conſiſtere iubet. Quærenti quidnam eſſet?

eſſet? & cur tubæ cantu illos ad colloquium conciuiſſet: Fecialis: Abi (inquit) & à Marchione Northamtoniẽſi, huius belli præfecto, tuis renuntia: Maieſtatem Regiam monere, vti iam tandem reſipiſcant, & his tantis furoribus finem imponant: ſi fecerint ſaluos ſe fore, & illius clementia tutos, & incolumes, neq; cuiquã quod admiſiſſet ſceleris, fraudi futurum.

Ad ea Flotmãnus (vt erat volubili ſemper lingua, & ad petulantem loquacitatẽ celeritate quadã præcipiti) ſuperbè minaciterq; reſpondiſſe fertur: Quod ad Northãtoniẽſem attinet, ſe ne tanti quidẽ facere, nullius neq; virtutis, neq; cõſilij, neq; fortunæ virum, ſed eũ contemnere, & peſſimè odiſſe, tanq; infamem, leuem, impurum, atq; alienæ ſemper opis indigentẽ: perfidia deniq; atq; omni proditionis turpitudine delibutum. Regiæ ſalutis, dignitatiſque propugnatores ſe ſemper acerrimos exſtitiſſe, eaq; mente perpetuò futuros, illius vt incolumitate ſuas, omniumq; bonorũ fortunas, inniti arbitrentur. Arma ſe induiſſe, non contra Regem, ſed quæ Regi, ſibique in poſterum ſalutaria futura confidant: neque vlla, vel concepti ſceleris conſcientia, vel læſæ maieſtatis dedecore illigari. Ecquid enim aliud conari? quam regium nomen, maieſtatemque defendere? communi ſaluti proſpicere? legum libertatiſq; iura tueri? ſemetipſos, cõiuges, liberos, fortunáſq; ſuas conſeruare? rẽ deniq; publicã (indignis vexatã modis) ab inimicorũ ſuorũ deteſtabili ſuperbia, libidine, crudelitate, vindicare?

Proin

« *Proin culpæ expertes à pœna itẽ immunes ac liberos*
« *esse debere. Nam quod perſplendens ille præco, mul-*
« *toq; perinſignis auro, ad ſpeciem præclara ſibi quæ-*
« *dã & magnifica dudum propoſuiſſet: id eo ſane fieri*
« *cõſilio, vt aut inſidioſa pacis cõditione, libertatis re-*
« *cuperandæ ſtudia reſtingueret, aut ipſos ſalutaribus*
« *quibus ſepti fuerant præſidijs nudatos, omniq; ope ex-*
« *cluſos, truculentiſſimis belluis deuorandos obijceret.*
« *Impunitate igitur (inquit) tua qui deliquerint, fru-*
« *antur: per nos licebit: nos qui hijs armis, atque in-*
« *nocentia tecti noſtra, ſecuri tutiq; ſumus, nullius*
« *vnquã miſericordiã implorare decreuimus. Etenim*
« *proſtratam iam penè Rempub. & generoſorũ indies*
« *importunitate labefactatam, & impulſam, aut hijs*
« *conatibus, ex miſerabilibus in quibus iam diu iacuit*
« *ruinis, ad priſtinã dignitatem excitaturi ſumus: aut*
« *(quod viros fortes, magnoq; praditos animo decet) ca-*
« *pitis periculo audacter decernentes, in prælio (ne-*
« *quaquam prodita, quamuis oppreſſa libertate)*
« *morituri.*

Vix dum finem fecerat huius furioſiſſimæ oratio-
nis (homo mortalium omnium perfidioſiſsimus) cùm
repens de improuiſo clamor omnem quaquà verſus
vrbem pernaſſit, horribileſq; exaudirentur hominũ
trepidantium, & AD ARMA conclamantium
voces, quibus omnium vndiq; aures perſonauerunt.
Namq; hoc ipſo tempore dum hæc ad portas Pock-
thorpenſes fierent, conturati inſanabili rabie ac per-
tinacia incitati, per loca quadam propter infirmorũ

hoſpitia

hoſpitia in vrbem irrumpentes, hoſtilem in modum omnia ferro igniq; vaſtantes incedunt. Veruntamen à noſtris in planicie iuxta palatium Epiſcopi Norwicenſis celeriter accurſum eſt, ibiq; pugnatū diu ſanè atq; acriter, circiter centum & quadraginta hoſtium cæſi, & ex noſtris militibus aliquot, vtrinque autem multi grauiſſimis vulneribus affecti.

Sed omnium oculos menteſq; miſerabili luctu ac horrore perſtrinxit DOMINI SHEFFELDII mors indigniſſima. Hic dum (vt fit) generis ac dignitatis, magis quam ſalutis ſuæ memor; vividus & ferox, reiq; gerendæ percupidus, in confertiſſimos hoſtes alacriùs & incautiùs pugnans inuehitur, fortè fortuna, ab rapido curſu circumagendo equo effuſus, in foſſam præceps deuoluitur. Ibique vir nobiliſſimus à ſicario ſceleſtiſſimo crudeliſſimè interficitur. Cumque hanc tam diram, & atrocem à ſe mortem, omnibus modis, quà præmia maxima pollicitando, qua nobilitatem, nominiſq; ſplẽdorem ſæpiùs indicando, deprecaretur: tãtum abfuit illorum vt animos, aut hominis, aut nominis, commiſeratio ſubierit, vt eò ferociores exſtiterint. Poſteaq; de facto (velut glorioſiſſimo) inter ſe contendentes, ad laudem eius tam inuiſi facinoris, ita cuncti animis exarſerant, vt pænè ad vim ventum ſit, cùm vtrinq; incenderentur ad decus & gloriam, quæ apud ſuos propoſita videbatur ei, qui homini ſplendidiſſimo fatale illud vulnus, ac mortiferũ influxiſſet. Sed omniũ opinione, Fulcus cæteris palmam præripuit, qui palam prædicabat (Deum

um detestans) à se clana ictum interisse. Vtcunque fuit, vir clarus & honoratus, hoc tam tristi fato functus, occubuit. Et Fulco non ita multò post (vindice Deo) debita tanto sceleri præmia persoluta sunt.

Verùm enimuerò dici non potest quantum semper in vtramq; partem valeat, ad victoriam, amplissimorum virorũ interitus. Etenim hostes cognito hoc tam lugubri casu, infestiores fieri cœperunt, & ad præluum committendum alacriores: nostri antẽ sensim animis imminuti, paulatim elangueſcere: adeò vt cõiurati lætitia elati, magno vndiq; clamore quasi explorata iam victoria sublato, in vrbẽ (quà dabatur iter) nostros hostiliter insequentes, inuolauerint. Qui partim multitudine oppressi, (viginti enim penè millia coniuratorum erant: nostrorum autem mille tantũ quingenti) partim autẽ huius illustrissimi adolescentis clade perculsi, vrbe cesserũt: diuersisq; itineribus per deuia tota nocte inter saxa, vepres, & virgulta dilapsi, Londinũ tandem omnes reuerterũt.

At ciues tot tantisq; onerati atque obruti malis, cùm omnia vndiq; hostium plena essent, vim ac cædem, cunctaq; quæ in captis vrbibus fieri solent hostilia metuentes, omni spe abiecta, è ciuitate diffugerunt. Tantoq; pauore plerumque omnium animi defixi fuerunt, vt multi mentibus simul luctu, metuque, à sensu rerum suarum abalienatis, vxores & liberos, omnesq; fortunas in hostium potestate relinquerent.

Multi

Multi vero ſuã quiſq; ſpem, ſua conſilia (communibus deploratis) exſequẽtes, quicquid eſſet auri, argentiué, & ſupellectilis pretioſi, in cloacas puteoſqué demerſerunt. Vrbẽ verò totam quaquà verſus perculit luctus, & mulierũ puerorumqué ploratus, qui cum hoſtium clamore, & flammæ ſonitu, & ruentiũ tectorum fragore permiſtus, horrendo cuncta compleuerat ſono. Nam coniurati ſtatim à Northamtonienſis diſceſſu tectis ignem iniecêre, iſq; per domos vicoſq; horribili flamma diffuſus, magnã vrbis partem celeriter abſumſit. Etenim quæ erant ad vicum Holmenſem ex vtraque parte incendebãtur omnia, hoſpitiaq; quæ plebi inopi ac valetudinariæ deſtinabantur, tum Epiſcopalis, Pockthorpenſis, Magdalenenſis, Bareſtretenſis porta multiaq; præterea à varijs in locis ædificia conflagrauerunt.

Accidit autem peropportunè, vt eodem tempore, magni imbres de cœlo defluerent, quibus ignis celeriter reſtinctus, nequaquam tam paſſim, ac latè quàm hoſtes volebant, peruagatus eſt. Ad hæc proditores diuitum domus ingreſſi, eas diripuerunt, exhauſtas etiam nonnullas igni concremauerunt. Tantaq; & tam varia, nefandæ crudelitatis exẽpla vbique ædiderunt, vt iam non homines, ſed immanes belluæ formam hominum induiæ, in vrbem ingreſſæ viderentur. Etenim ſatis conſtat, illa tempeſtate ciuitatis ſpeciem, tam lugubrẽ, ac miſerabilem exſtitiſſe, cũ nihil aut oculis hauriretur, aut auribꝰ cõciperetur, niſi vlulatus, cantuſq; hoſtiũ diſſoni, fletus mulie-

muliebris, virorum clamor, & hinc & illinc discurrentium strepitus, tum ferrum, flamma, ruina, cæteraq; (quæ ne narrando minora faciam prudens prætereo) vt non videntium solùm mentes oculosq; horror perfuderit, verumetiam audientium aures & animos incredibili mœrore perculerit.

Capta igitur hunc in modum à coniuratis vrbe, incensa, direpta, deserta, cùm omnia vndiq; (præterquam ab hostibus) solitudo occupauisset (nam qui in oppido remanserant, obseratis ianuis in intima ædium sese abdiderant) Proprator solus, velut ad spectaculum occidentis patriæ à fortuna relictus, consilij, & auxilij expers, cùm de summo ædium cũcta flammis ac ruinis vastata vidisset, ratus, hostes non ita multò post, sicut ædibus stragem intulissent, sic hominibus vicissim vim ac mortem illaturos, occlusis foribus domi se continebat.

At coniuratorum interea manus ingens, velut agmine facto, per portas Augustinenses in vrbẽ irrupit, cunctiq; præcipiti cursu ad Propratoris domũ delati, fustibus & iis quæ fors obiecerat baculis armati, fores effringere conantur. Demùm ignis subijci cœptus, ad quem terrorem Proprætor cũ cohorruisset, ianuam (namq; omnes serui in fugam se proripuerant) recludit. Protinùs illum comprehendunt, palliumq; (quo tum fortè vtebatur, detrahunt, proditorem appellãt, necem denig; minitantur indignam, nisi indicaret quo in loco Northãtoniẽsis delituisset. Cùm ille, discessisse omnes respondisset, eam vocem

cuncti

cũcti clamore ac indignatione tumultuosissimè exceperunt, omniq; impetu in ædes irruentes, loca quælibet furacissimè perscrutantur. Deinde ad prædã dilapsi, spolys onusti recesserunt. Sed multi partim pecunia alijsq; rebus à Propretore acceptis, partim cuiusdam hominis voce, qui illa intoleranda esse dixit, & furta ac flagitia omni supplicio vindicanda repressi, sarcinas oneraq; quæ prius asportassent denuò in officinas coniecerunt. Veruntamẽ permulti ciuiũ, quorũ domus seditiosi intrarunt, cùm Northãtonienses tantùm quærere præ se tulissent, omnibus fortunis exuti spoliatiq; sunt. Præcipuè verò eorũ ædes despoliauerant, qui vrbe cesserunt, illos proditores, Maiestatiq; Regiæ hostes apertissimos esse prædicãtes, bonaq; illorum se in fiscum redacturos. Cæterùm oppidanorũ nonnulli id concilij cœperunt, vt panẽ ac potũ, omnisq; generis alimenta furiosissimæ multitudini exhiberent: quibus miser, ac ieiuna plebs delinita nonnihil à rapinarũ rabie cõquieuit. Nihilominùs q̃ plurimi, (hac inexpectata calamitate accepta) magna dãna iniuriasq; pertulerunt, tantisq; depressi difficultatibus fuerunt, vt seper posteà dũ vixerant (viuunt antẽ adhuc etiã nonnulli) domesticis rebus implicatiores exstiterint. Subit interim rebelliũ animos (vt videbatur) futuri temporis recordatio: proin à vi ad salutis curã cõuersi, Propratori vrbisq; primoribus imperant, vti ostiatim à ciuibus ad omnes portas custodiæ vigiliæque quotidiè instruantur: infecerint, mortem ac cruciamenta acerbissima interminari. S. Præ-

Prætereà in templo (horrendum dictu) in templo Dei optim. maxi. proditores importunissimi, quoties pluuia decidisset furorum suorum castra locarunt. Eoqué progressa est improbitas & audacia, cunctaqué delendi libido, vt nec sapientissimorum hominum voces, nec diuinæ vindictæ terror, nec mulierum lamenta, & lachrymæ, eos à scelere auocare potuerint. Etenim fœminæ, postquàm cade inermium temperatum conspexissent, frequẽtes sese in vijs obiecerãt, vti patriæ parcerent rogantes, sibi suisqué, homines se meminerint, hominibus natos, satis in illos, quorũ causa arma ceperunt, sæuitum, injicerent modo franos iræ, pacem veniamqué atque omnia proculdubiò à Maiestate Regia consecuturos. Sed vt anteà dictum est, nec minæ, nec sapientum consilia, nec precum blanditiæ, neque vlla denique res, potuit eos à tanta flagitiorũ atrocitate deterrere: donec patriæ miserandam cladem, & sibijpsis dignum talibus scelcribus exitium tandem contraxissent.

Namque Rex postquam intellexisset maiestatem suam indies magis magisqúe minui: nefariorum hominum cœtus augeri: cuncta hoc exsecrabili insanissimi tumultus furore permiscerí: clementiam & mansuetudinem regiam contemni: nullum iam misericordiæ locum relinqui: lenibus remedijs nihil profici: insanabiles esse animos, & letali lue contractos omnem deinqne salutis spem penitùs ademtam, nisi eam solam quæ in vi & suppliciorum atrocitate defixa foret: hanc primo quoque tempore ad-

adhibendã existimauit. Quãobrẽ in Comitatu Lincolnienſi, & varijs Regni regionibus, delectus inſtituj, ac militem conſcribi iuſſit, magnumq; Heluetiorum numerũ accerſiri, ratus (id quod res monebat) ſceleratam iam gentem ſtirpemque penitùs interfici debere, alioquin ſi latiùs ſe diſſiparet, vicinãq; plebem ſceleris contagione inficeret, tum demùm difficulter ſiſti poſſe, cũ illius peſtis feruor longiùs peruagatus, atque in regni tanquam venas ac viſcera illapſus, omnes eius partes funeſtiſſimis perfidiæ flãmis inuoluiſſet. Huic exercitui IOANNES DVDLEIVS comes VARVICENSIS, (peregregiæ nobilitatis admirandaq; virtutis vir,) præficitur illiq; literis mandatiſq; Regijs imperij ſũma defertur.

Hæc autem tum apud noſtrates opinio omnium ferè ſermone percrebuit, huius ampliſſimi Comitis tantam eo tempore animi magnitudinem ac rei militaris ſcientiam extitiſſe, vt aut ab hoc ſuperari, aut à nullo certè profligari poſſe viderentur. Harum igitur rerum voces in vulgus crebræ ſparſæ diſſeminatæq; aliquã exercitus, apparatuſq; regij, rumoris auram Kettianis afflauerat. Poſteà verò cùm pro certo comperiſſent delectus illos, Ducem, arma, cohortes, omniaq; bellici terroris inſtrumenta, in ſe inſtituta, parata, intenta fuiſſe, confirmare ſe indies, ac omnia circumſpicere, ac periclitari cœperũt, quò inſtructiores eſſent ad reſiſtendum. Tantum abfuit vt eorum immanitatem & audaciam vlla vel ratio imminuerit, vel terror infregerit.

Hunc in finem cùm multa quotidiè à seditiosis tumultuosiùs fieri animaduertissent ciues quidam vi, cædem, rapinas, incendia, omniumq; rerum lamẽtabilem interitum metuentes, demùm ne inuiti etiam ab illis stare cogerentur si in ciuitate remansissent veriti, rebus omnibus quæ raptim coacernari poterant, in vnum congestis, ijsq; aut in terram defossis, aut cæmentariorum opera, latere luteue circumclusis, noctu clám ex vrbe profugerunt.

Varuicensis intereà, postquam se milite tam domestico q̃ externo, pecunia, armis, cũctisq; quæ bello vsui sunt, rebus instruxisset, omnibus copijs circũfusus Londino proficiscitur. Fuerunt in illo exercitu Marchio Northamtonensis, penes quem rei militaris administratio nuper fuit) AMBROSIVS *ac* ROBERTVS DVDLEIVS *Varuicensis filij: Willoughbæus, Poyssius, Braius, multiq; alij proceres illustrissimi: præterea equitum, armigerorum, generosorum, Heluetiorum, & cuiusuis ordinis militum circiter millia panè quatuordecim.*

Cùm ad Cantabrigiã peruenissent, ibi ad castellũ Varuicẽsi obuiã fit à primoribus aliquot vrbis Norwicensis, cæterisq; ciuibus, quos paulò antè diximus, ex formidabili & perinsana coniuratorũ audacia, timore cõcepto, cõfusos perterritosq; ex oppido profugisse. Hi squalore, & sordibus obsiti, & in genua prolapsi, vniuersi se ad pedes illius proiecerũt, flebilibusq; eum vocibus atque lamentis vehementiùs obsecare cœperunt: Ne quid grauius in se statueret, nullius so

culpa

culpæ conſcios, Regiã tamen clementiã ac miſericordiam deprecari. Incredibilem ſanè dolorem, ex hac miſeranda patriæ clade ac uaſtitate concepiſſe, extrema omnia perpeſſos, demùm quò vitæ conſulerẽt, fugere è ciuitate coactos ferro, flammaq; ab vrbe, ab vxore, à liberis, & pene à complexu ſuorũ diuulſos & electos. Tantis in miſeriis (quibus vndique premerentur) nihil tamen aliud obteſtari, niſi vt ſi in hoc communi, & ſummo omnium timore, per errorem & imprudentiam inſcios ſe aliquo ſcelere implicauiſſent, id ne fraudi ſit, ſed vt huic omnium dolori & precibus condonaretur. Varuicenſis ad hæc:

Intelligere ſe quanto in periculo fuerint, magnamqué eam perditorum hominum proculdubiò vim exſtitiſſe, quæ ab omnibus ijs rebus eos, quæ tantum non vita cariores ſunt, abſtraxiſſet: fateri nihil illos (quod ſciat) perperàm admiſiſſe. Quod vrbem in tanto terrore reliquiſſent, humanum id quidem & ferendum videri. Vna in re paulò imprudentiores fuiſſe, qui initio, his tantis malis non obſtiterint, per paucos quidem fortes & prudentes viros, momento temporis illes cœtus diſcuſſuros, ſi recenti re, ſe pro ſalute patriæ intrepidè obieciſſent. Veniam nihilo tamen ſecius quam peterent concedere, Regiamqué cunctis clementiam impertiri. Iubere inſuper vbi ſe telis militaribuſqué rebus inſtruxiſſent: parati vti ſint qui agmẽ ſequantur, colla tæniolis circumuincti, quò à cæteris diſcerni queant.

His peractis, Cantabrigia proficiſcitur, & a.d.X. Kalen-

Kalendas Septemb. omni cum exercitu Intwoodiam peruenit. Distat autem Intwoodia Noruico, ad duo ferè millia passuum, ibiq; Thomas Greshamus quidã (equestris ordinis vir) domum habuit sanè peramplam & ornatam, in qua Varuicensis eo die, & insequenti nocte cum suis permãsit. Armati tamen omnes fuerunt, & ad prælium instructi, si quid fortè tumultus repentini hostes excitiissent: qui quidem è speculis & turribus cuncta quæ fierent contemplabantur. Varuicensis interea dum (vt anteà dictum est) cum omnibus copijs Intwoodiæ consedisset, fecialẽ mittit, qui Regis nomine vrbi, ciuibusque (vti mos est) bellum denunciaret, nisi portis q̃ primùm patefactis, atque reclusis, Regium exercitũ in oppidũ intromisissent.

Kettus vbi fecialẽ ad portas peruenisse intellexisset, Augustinum Stuardum Propretorem & Robertum Ruggum vrbis primores adire eum iussit, & ab illo quid postulatum venisset sciscitari. Ii per posticum emissi, re cognita, feciali respondent.

" *Miserrimos sese arbitrari omnium qui vnquam*
" *vixerunt mortalium, tot tantisq; cladibus & animo,*
" *& corpore perfunctos, vt ad earum memoriam totũ*
" *artubus contremiscant. Veruntamen hoc vnum prætereà etiam ad summam calamitatẽ, doloris & de-*
" *decoris adiungi, quod eam quam Regiæ maiestati si-*
" *dem deferre & debeant, & cupiant, hoc tẽpore præ-*
" *stare nequierint. Infœlicissimos sese existimare, quo-*
" *rum in illa tempora ætas incidisset, quibus*

implicita,

implicita, ſemper aut vitæ, aut dignitatis diſcrimen ſubeũdum foret. Nihilominùs benè ſe de Regia Maieſtate ſperare, vtpote qui nullo horum ſe ſcelerum conſenſu deuinxerint, ſed ea (quantum certè fieri potuit) à ciuibus ſuis magna cum rei familiaris iactura, & incredibili ſemper vitæ diſcrimine depulerint. Vnum hoc inſuper à Varuicenſi dimiſiſſimè deprecari, vt quoniam in vrbe Kettianorum innumerabiles eſſent inermes, inopes, ac nudi, quos (præterquàm quòd metu & flagitiorum conſcientia aſtricti tenerentur, cæteroqui huius ſocietatis pertæſum eſſet, vtpotè qui cupiditatem ipſam malefaciendi, furorum ſatietate repleuiſſent) rem ſæpiùs fruſtrà tentatam, ſemel tamen iterùm experiri dignaretur. Magnoperè ſeſe confidere demonſtrant, ſi hoc tempore impunitatis ſpes denuò propoſita ſit: fore vti protinùs ſine cæde ac ſanguine ab armis diſcedatur. Æternam eius rei ad poſteros memoriam futurã, & gloriam quauis victoria præſtantiorem: ſi pacem ac tela ciuili nequaquam imbuta cruore domum reportaſſet.

Fecialis continuò à colloquio Propretoris in caſtra Varuicẽſis digreſſus, cũcta quæ ab illo didiciſſet demonſtrat: Varuicenſis, cui nihil antiquius fuit, quàm vt (ſi qua ratione confieri poſſet) incendium hoc, iam periculoſum, & acerbum, ſine cruore ac ſanguine reſtingueretur: ſtatuit & ipſe quoque huiuſce rei conſiliũ, nõ facinorũ, quæ deſignaſſent atrociuate, ſed dignitate Regia, & regni vtilitate metiri.

Metuebat insuper ne Generosi qui vincti in carcere ac custodijs detinebantur, magnis indies terrorum iactati fluctibus, tandem ab illis crudelissimè interficerentur. Namque mortem illis quotidiè interminabantur, & permultos ex ijs, ac præcipuè Rogerum Woodosium, equestris ordinis virum, omni verborum contumelia lacerarunt. In quo sanè viro violando atque vexando, inauditam illam suam atq; insatiabilem animi crudelitatem exercuerunt.

His igitur de causis placuit denuò experiri possent ne iam tandem veniæ & impunitatis spe, de sceleris errore deduci. Dimissus ad id statim cum tubicine fecialis, quibus vrbem ingressis, obuiã fit protinùs à quadraginta seditiosis, qui bini pariter incedentes (erant autẽ omnes in equis) multo cum plausu, ingentique clamore à porta diui Stephani ad Episcopalem perrexerunt. Exin tubicen buccinæ cantu signum dat, ad quod cùm confertim de colle magni coniuratorum greges confluxissent, citato cursu equites ad illos diuolarûnt. Iubent vti vtraque parte viæ ordine directo consisterent. In quem cùm se è vestigio retulissent, fecialis cum tubicine, ciuitatisque primores duo per medios hostes progressi, magnis vndique clamoribus ac vociferationibus excepti sunt. Namque singuli capitibus aenudatis, vno veluti ore ac consensu ad vnum ferè omnes conclamarûnt: VIVAT EDOVARDVS REX, VIVAT EDOVARDVS REX.

Collau-

Collaudati ob id à feciali & primoribus ciuitatis, atque ordinem quem tenerent vti eundem paulisper conseruarēt rogati: fecialis cum eum in modum ducentos quinquaginta ferè passus confecisset, tandem collis cacumen conscendit. Ibi sacris ac solemnibus velatus insignibus paululùm moratus, (nondum enim Kettus venerat) demum ita locutus fertur.

Non ignorare illos ex quo primum scelerata arma in patriam cœperunt, quot quantisq; modis omni studio, labore, sollicitudine, Regia Maiestas eā in curam incubuerit, vti à scelerum atrocitate, qua omnia iura diuina atq; humana violauerunt, ad aliquam officij, & salutis suæ cogitationem, (conuersis tandem voluntatibus) traducerentur. Non semel tantum, sed sapius iterum atq; iterum, pacis præcones, atq; internuntios ad illos misisse, quos tamen despectos semper, atque omni affectos ludibrio, detestabili furore ac perfidia neglexissent. Nunc verò (prô Deum immortalem) quò ruerent? quò se fortunasq; suas exitiabili vesania præcipitarent? quē perfidiosissimis furoribus modum? qnem impurissimis consilijs exitum imponerent? Quousq; pestiferis incitati cupiditatibus, quas semel animis viuendi spes falsas atq; perinanes imbibisset lætali sēper vanitate cōsectarentur? Quousq; turpissimā exitiosæ proditionis impietatem, ementitis verborū titulis cōdecorarēt? Quousque horribiles impuritates, atque nequitias, fallacissimis virtutum integumentis inuoluerent? Quousq; denique, earum rerum fatali desyderio tenerentur,

" rentur, quas si assequi liceret, atque adipisci, totius
" cõtinuò Reipublicæ interitus, longè acerbissimus, at-
" que luctuosissimus accideret? Quin potiùs iam tan-
" dem circumspicerent paulisper, atque animum, mẽ-
" temq; adhiberent, REMQVE suã PVBLICAM,
" (de qua omni in sermone non perinsulsè minùs, quàm
" nefariè, impieq; gloriari solerent) intentioribus ocu-
" lis acerrimè contemplarentur. Enimuerò tum facili-
" mè perspici posse, fidelesné subditi sint, & bonorũ ci-
" uium nomine digni, qui contra maiestatem Regiam
" hostilia arma induerint: qui despicatissimorum ho-
" minũ, flagitiosissimos greges conflauerint: qui patriæ
" (communi omnium parenti) impias atque sacrilegas
" manus intulerint: qui plebis fecem mortalium vilis-
" simos, (omni pænè ex Anglia excussos) in Rempubli-
" cam, ad bonorum interitum, & regni disperditionem
" immiserint: qui maximam ornatissimæ ciuitatis par-
" tem acerbissimo incendio deleuerint: qui permultis
" fortibus, atque integerrimis viris fœdissima vincu-
" la iniecerint: nõnullos autem exquisitissimis crucia-
" tos tormentis pernecarint: qui refertissimas domus
" penitùs exhauserint, vicinasq; villulas compilarint:
" qui multorum (nuper diuitum, nunc autem illorum
" immanitate, miserorum atque egentium) fortunas,
" ad se, in sua nefanda castra funesto latrocinio tran-
" stulerint: qui falsas leges, falsas literas, falsa diplo-
" mata Regis nomine cõfinxerint: qui templa Dei op-
" timi maximi profanauerint: priuatorum hominum
" domos prostrauerint, agros circumquáque perscule-

rint,

rint, & afflixerint: qui cogitationes omnes, studia, co- „
natus, ad depopulationes, cades, vastationes, incen- „
dia, rapinasqué conuerterint : qui denique nihil su- „
peresse siuerint, quo progredi longiùs posset furoris „
rabies & amentia, quin id totum, aut profundissi- „
mæ libidines absorpserint, aut importunitates teter- „
rimæ dissipauerint. His cùm se tot, tantis, ac tam „
horrendis flagitiorum fœditatibus, Deo, Regi, „
Reiqué publicæ obstrictos videant: cumqúe iam e- „
um in locum res suas, fortunasqûe omnes deductas „
animaduertunt, atque ita planè profligatas, & perdi- „
tas, peiore vt conditione quàm nunc sunt (sunt enim „
pessima) ne si cupiant quidem esse queant, tum „
ipsi secum recordentur, quàm in immensum ma- „
lorum mare præcipites sese deuoluerint: cogitentq́, „
quid pertimescendum sit illis, quorum capitibus sem- „
per impendeant, (quæ vitari certè nullo pacto pote- „
runt) diuini numinis ira, & inuictissimus violati „
infestiq́ Regis exercitus. Et enim decreuisse maie- „
statem suam, non pati diutiùs hærere hoc tantum „
malum in visceribus regni sui, neque tam feram, „
immanem, & intolerandam audaciam vlteriùs im- „
punitam & inultam relinquere. Itaque delegisse „
Comitem Varuicensem, (celebris gloriæ multiqué „
nominis virum, & huic rei à maiestate sua præfe- „
ctum) qui illos ferro, ignequé persequeretur, iussisse- „
qué vti nunquam priùs desisteret, quàm hanc illo- „
rum tam tetram & horribilem societatem radici- „
tus excidisset. Nihilominùs tantam esse eius im- „

mensa

" mensæ bonitatis, atque clementiæ magnitudinem, vt
" quem perditorum facinorum (si perseuerarent) vin-
" dicem cõstituerit, eundem quoque (si secus fecerint)
" misericordiæ suæ interpretem atq; administrũ esse
" voluerit. Quam nisi iam (deterioribus posthabitis
" consilijs) amplecterentur, Varuicensem per omnia
" sacra iurare, nunquam eam posthac cuiquam oblatã
" iri. sed se (sicuti sibi à Rege imperatum fuit) omnes
" eius pernitiosissimæ coiurationis socios, satellites, mi-
" nistros, adiutores, vt maiestatis regiæ hostes infe-
" stissimos ferro, igneque persecuturum: neque antè
" persequendi finem facturum, quàm illi qui hoc nouo,
" inaudito inexpiabili parricidio cuncta polluissent, &
" se tam insanis scelerum fluctibus obruissent, meritas
" Deo, Regique pœnas debitasque persoluerint.

Hæc cùm dixisset, etsi multi de rerum euentu magnoperè solliciti, & quà angore conscientiæ, quà flagitiorum suorum recordatione conuicti cohorruissent: tamen plærique omnes huic orationi grauiter infensi, ita intimis exarserant sensibus, vt fecialẽ protinùs clamoribus vndique infestis, maledictisq; conscinderent. Nonnulli eum proditorem esse vociferarunt, non à Rege missum sed à nobilibus instructum, & subornatum, qui illos in fraudem impulsos, verborum blandimentis atque delitijs consopiret, quò facilius veluti conniuentes, incauti, & nihil triste formidantes, opprimerentur. Alij veniam illam ad speciem quidem præclaram, & magnificam videri, sed

ſed reuera exitioſam tandem, & lugubrem futu-
ram, vtpotè quæ nihil aliud eſſet, niſi DOLIO-
LVM CAPISTRIS REFERTVM. *Tunicam*
autem illam pictam, auroq; diſtinctam & illuſtrem,
neutiquam eſſe fecialia inſignia, ſed quiddam ex
Papiſticis conſutum ornamentis. Multa præterea
in illum (peſtilenti vecordia turbidi atq; præcipites)
rabidè furioſeq; coniecerunt, dum quaquauerſus
cuncti acerrimis in eum vocibus & mortem redo-
lentibus, uirus acerbitatis ſuæ profunderent. Ni-
hilominùs fecialis illinc cum Ketto digreſſus, alio in
loco eadem quæ ibidem promulgaſſet, cæteræ plebi,
(namq; anteà præ multitudine omnes audire nequi-
erant) proponit.

Accidit autem vt priùs quàm orationi finem im-
poſuiſſet, ſceleſtiſſimus puer nates flagitioſiſſimè de-
nudaret: facto inſuper fœdiſſimo, addita ſunt verba
fœdiora. Qua indignitate quidam permotus (nam
cis flumen erant ex noſtris aliquot, qui eò ſpecula-
tum venerant) puero fiſtulæ glande plumbea ſuprà
renes, plagam repentè mortiferam inflixit. Quod cõ-
iurati eum conſpexiſſent, equites duodecim de ſyl-
ua furioſiſſimè conclamantes decurrerunt: Cir-
cumuenimur ô ſocij, niſi prouideritis, circumuenti-
mur. Nónne videtis commilitones noſtros coràm
trucidari? ac tormentis tranſyci? Quid ſperemus
ſparſi & inermes, cùm etiam iam armatis vis in-
feratur? Enimuerò fecialem nihil aliud cona-
ri, niſi ut cuncti inſidijs circumcluſi debilitatiqué

à no-

„à nobilibus contrucidemur. Hæc cùm dixisset, dissi-
„pati omnes, ac veluti repentino furore conciti dis-
„fugerunt.

Attamen Kettus fecialis se adiunxit, eratq; illi in animo Varuicensem coràm affari: iamq; collem pænè Sturtelhensem descenderant, cum ingens eum seditiosorum caterua clamoribus insecuta, ad vnum omnes vociferari cœperunt. Quonam iret rogantes? se paratos omnem (quamuis vel acerbissimam) cum illo fortunã subire. Quin si longiùs progredi perrexisset, habituros illos itineris etiam comites, ac vitæ necisquè participes. Fecialis cùm à tergo tantam hominum consectantium vim vidisset, Kettũ rogabat vti hos concursus ac tumultus sedatum retrò cõcederet. Qui cum ad suos se retulisset, protinùs conticuerunt, cunctiq; cum illo ad castra reuerterunt.

At Varuicensis cùm vniuersos furore quodã, & cæco veluti mentis impetu ad interitum præcipites ferri animaduertisset, neque vllis aut precibus aut pollicitationibus, neque porrò supplicij denunciatione promoueri, vti à tam fœdo incœpto absisterent, pacis spem (rem tam à se, quàm ab alijs sæpiùs frustrà tentatam,) in æternũ sibi dimittendam putauit, & tãdem de bello agendum. Itaq; confestim ad portas diui Stephani exercitum ducit, (quas cataractis dimissis, perduelles occluserunt) iussitque magistros libratorum regios, ita bombardas pro portis locare, vt ijs deturbatis, atque tormentorum impetu refractis, militi in vrbem aditus præstrueretur. Quæ dũ fierent,

fierent, ab Augustino Stuardo Propratore intelligit, ianuam esse auersam (quam vulgò æneam appellant) hanc ab illis maximis defixis trabibus, ijsque terra lapidibusq; repletis munitam, nihilominùs nullo negotio distrahi atque perrumpi posse. Munitores accersuntur, ijs imperatũ vti refringant. Effracta porta, per patentem eam nostri primum in vrbem ingressi, multis interfectis, hostem eo loco facillimé submouerunt. Iamq; tormentariorum præfectus, cataractis discluſis, atq; diruptis, dimidiam ferè portæ partem, frequenti tormẽtorum ictu quassatam diſiecerat, cum Northamtonienſis, & Druryus quidam (perſpectæ fortitudinis vir) cum cohortibus ſuis illac in vrbem inuolantes, Kettianos istinc quoque multo inflicto vulnere, multisque trucidatis, è vestigio depulerint. Ex altera item parte vrbis Proprætor perfecit, vti portæ Vestuicenſes aperirentur, quibus recluſis patefactisque, Varuicenſis omni cum exercitu intromiſſus, reſistente pænè nullo in forum peruenit. Ibi ſexaginta ferè hostium deprehenſi, in quos confestim militari more animaduersum est. Indicta enim causa, omnes protinùs (vt in bello fieri conſueuit) manifesti sceleris conuicti, vltimo ſupplicio afficiebantur.

At non ita multò post, vehicula ac impedimenta omnia, quæ propter tum ſubuectionum difficultates, tum frequentes, ac repentinas hostium incurſiones, aliter importari nequirent, per illam quoque portam in oppidum introducuntur. Sed accidit (vt fit) calonum

num temeritate & inſcitia, dum noſtri grauioribus negotijs implicarentur, vti ad portam Epiſcopalem Mouſholdiam verſus vrbe excederent. Quod ex ſeditioſis quidam conſpicati, miſſis qui auerſos calones adorirentur, noſtros impedimentis omnibus exuerũt. Qui ex hoc incredibiliter gauiſi (nam anteà ab iſtiuſmodi rebus imparatiſſimi fuerunt) carros tormentis, ac puluere ſulphureo, omniq3 militari inſtrumento onuſtos, in caſtra perduxerunt. Sed peropportunè cum cohorte ſua Drurius interuenit, qui (neq3 tamen omninò ſine militum iactura) vehicula quædam ab hoſte recuperauit.

Deinde perduelles hoc conſilij cœperunt, vt in tranſuerſis platearum diuerticulis, cateruatim ex inſidijs ſubſiſterent: rati noſtros incautos, & viarum inſuetos, propter tum locorum inſolẽtiam, tum vrbis magnitudinem celeriter confici poſſe. Quamobrem vicatim diſtributi. pars ad diui (quem vocant) Michaelis, pars ad Simonis, alij ad Petri, nonnulli ad Vymerenſem vicum, parati omnes ad prælium inſtructiq3 conſtiterunt. Ibi noſtros nec opinãtes adorti tres vel quatuor generoſos, priùs quàm quiſpiã ſubſidio venire poſſet, crudeliſſimè interemerunt. Re comperta, & in forum diuulgata, Varuicenſis omni cum exercitu ad hoſtem ſubmouẽdum proficiſcitur. Cùm per plateam (quam vulgò Iohãnis vocant) ad tẽplũ diui Andræi peruenisſent, hoſtes de improuiſo magnam ſagittarum vim atq3 procellam in noſtros effuderunt. Sed ſagittantibus illis & terram cœlo miſcere

ſcere conantibus, dennò cum ſclopetarijs ſuis, ſummæ pernicitatis atq; peritiæ iuuenibus, derepentè infert ſe Druryus, tantamq; vicissim tormentorũ tempeſtatem (grandinis ritu) refundit, puncto vti tẽporis trepidantes omnes in fugam impulerit. Circiter centum & triginta interfecti: multiq; dum in cœmiteria, & ſub muros correpſerunt comprehenſi, & acerbiſſimo ſupplicio affecti ſunt. Cætera omnis colluuies ad caſtra Mouſholdica, velut in ſentinam refluxit. Quibus exhauſtis, ciuitas (quod tantam peſtem euomiſſet, foraſq; proiecisſet) recreari tandem, & magnoperè releuari videbatur.

Seditioſis itaque hunc in modum reiectis vrbeq; depulſis: Varuicenſis quò oppidum communitius fieret, muros militibus, rebuſq; ad hoſtem repellendum idoneis inſtruxit: iuſſitq; vti protinùs cunctis in vijs armati collocarentur, omneſq; aditus in vrbem portæque (extra vnam aut alteram) obſtruerentur. Namque per illas noſtri magnam tormẽtorum multitudinem deuexerunt, quæ parata imbi ſtabant & inſtructa, quò poſtridiè Mouſholdiã deportarentur. Sedenim Kettiani rati noſtros magna pulueris ſulphurei, cæterarumq; rerum omnium quibus tormẽta exerceri ſolent penuria laborare, videnteſq; inſuper ad impedimenta & vehicula ſtare è noſtris quoſdã, raros, ac ad ſubitos belli euentus minus bene intentos: (quos immani efferatæ mentis rabie furentes, tũ propter paucitatẽ, tum quia incautos & nihil tale timentes, perfacilè ſe oppreſſuros arbitrabãtur ma-

T. *gnoperè*

noperè deſpexerunt) oblatam ſibi magnam rei benè gerendæ facultatem exiſtimarûnt. Itaque dum Varnicenſes, quà ab vrbis defenſione, quà à cæteris rebus diſtentiſſimi, maioribus curis impedirentur, Milo quidam, vir (vt videbatur) audaciſſimus & pilarum eiaculandarum peritiſſimus, oportunitatem eius facinoris, tempuſq; diligenter aucupans, Præfectum libratorum Regium tormẽti glande transfixit. Quem illi exanimem conſpicati, pars nudi & inermes, pars baculis, clauis, ac bidentibus inſtructi, phanatico veluti curſu inflicti, de colle in noſtros impetum fecêre. Ne primam quidem impreſſionis procellam tulerunt noſtri (tantus omni ex parte terror fuit, & tam nec opinata hoſtium vis) ſed incõditis vlulatibus & ſtrepitu horriſono obſtupefacti, perterritiq; (impedimẽtis omnibus carriſq; relictis atq; deſertis) magno cum clamore curſuq; vndiq; fugæ ſe mandarunt. A pluribus itaq; paucis hunc in modum diſpulſis atq; fugatis, ſeditioſi tormenta quædam quæ inibi deprehenderunt, carroſq; cũctis rebus quæ bello vſui forent onuſtos (priuſquam auxilio à noſtris veniri poſſet) in caſtra comportarunt. Quæ ſanè res peraduerſa noſtris & incommoda fuit. Nam præterquam quod inſtrumenti militaris quò ſe hoſtis inſtruxit poſtcà indiguerint: Kettiani libratores, pilis ferreis, quæ è bombardis, & tormentis quæ cœperunt, in noſtros creberrima infenſiſſimaquè torquebantur, vrbem vehementer afflixere. Multiſq; interfectis,

terfectis, tormentorumqué rabie laceratis, atque diſcerptis, hoc inſuper addidere ſceleris & nequitiæ, magnã vti muri partem, turrimqué quæ in ſummo Epiſcopalis portæ, conſtiterat, furioſiſſimè deturbarent. Quanquam certè (diuini numinis clementia) ea tùm populi Norwicenſis fortuna fuit, vt circumuolitantes tormentorum pilæ, ſiue caſu, ſiue conſilio, ſiue (quod magis reor) collibrantium (vt interdum accidit) temeritate, & inſcitia altiùs emiſſæ, domuum tecta ſine damno, præteruolauerint. Quæres vtique niſi contigiſſet, ab impuriſſimis latronibus, deterrimiſqué, continenti tormentorũ impetu ædificijs vndiq; diſiectis atq; deterſis, maximæ vrbis partes, leui momento conſtratæ, æquataq; ſolo concidiſſent. Atqui equidem proculdubio detrimentum opinione omniũ maius publicis rebus eo die importatum fuiſſet, ſi Drurius, virtute ſua, & haud contemnenda militum ſtrage, hoc incommodo expiato, hoſtibus profligatis atq; repulſis, maximam eorum quæ tùm auerterunt, partem non præripuiſſet.

Varuicenſis poſt hæc, quarundam portarum ingreſſibus conciſis, atq; aggere obſeptis, in pontibus & vicorum flexionibus, ac diuerticulis, diuerſa ſuorũ præſidia diſponit, magnamq; armatorum manum ad portam Epiſcopalem conſtituit, cui Dominum Wyllowghbaum præfecit: ſicq; omnia milite circumſepſit, atq; muniuit, vt ea nocte hoſti introitum in vrbem vndique præcluſerit.

Postero tamen die, seditiosi flumen transgressi, circa locum quendam quem Counsforth appellant, incendio terribili, & ad aspectum sanè perlugubri cuncta permiscent. Nam omnibus duarum paræciarum ædificijs exustis, ignis ita latè se diffudit, vt vicina plaraq; loca horribili flamma comprehenderet. Domus erat quædam in qua Mercatores Norwicenses, ea quæ Yarmoutho deuexissent deponere consueuerunt: huic ignis illatus, quo momento temporis domus ipsa, vnaq; maximus frumenti numerus multæq; honestissimorum negotiatorum fortunæ cõcremata deflagrauerunt.

Fama est (neque absonum fidei videtur) decreuisse illos totam vrbem incendio delere, atque eo consilio quibusdam tectis ignem iniecisse, quò videlicet vniuersi ad ardentes domus discurrentes, seditiosi eodem temporis puncto, portis omnibus inundãtes, nostros dissipatos, & mutuo intercluſos auxilio, hinc flamma, illinc ferro constringerent. Id prudenter animaduersum, & hostium conatus fefellit, & nostros eam in sententiam adduxit, vt ignem passim per tecta, populabũda velocitate grassantem, vagari sinerent, neque orientem eum quamprimùm restringuerent.

Veruntamen cùm nostris ista hunc in modum omni ex parte infœliciter accidissent, calamitates alias super alias perpetuò accumulante fortuna, multorũ animos ingẽs stupor ac mœstitia defixit, adeò vt desperatione ac timore langueſcentes (deficiẽte iam

ad

ad omnia consilio) penè succumberent. Hij Varui- „
censem adeunt, demonstrant vrbem esse magnam, „
portas omnes aut fractas, aut exustas, summam pro- „
pugnantium paucitatem, hostiũ verò copias ingentes, „
defendi non posse, rogant enixè vti saluti consulat, „
ciuitatem relinquat, néue rem in summum discrimẽ „
deduci sinat. Varuicensis (vt erat corde semper „
excelso sanè & inuicto, tum acer, & vehemens in
ferro vir, omniq; insolens infamiæ) Quin igitur (in- „
quit) tã citò animis concidistis? Tantáne de repentè „
offusa mẽti caligo, virtutis aciem perstrinxit, vt hoc „
aut vos velitis, aut me viuo fieri posse arbitremini? „
Ego vt vrbem relinquã? prius ferrũ, prius flamma „
prius denique omnia, quàm tantam mihi, vobísue „
ignominiæ aut dedecoris labem aspersérim. „

His dictis, gladium distrinxit, fecêre idem & cæteri nobiles (aderant enim frequentissimi) iussitq; vti alter alterius ensi (militari more in maximis periculis interdum hoc fieri consueuit) osculum & sacræ crucis signum imprimerent, & iureiurando, sanctoq; fœdere conceptis verbis vniuersi se deuincirent, non prius istinc discessuros, quàm aut hostem funditus prostrauissent, aut vitam pro Regia Maiestate dimicantes fortiter profudissent.

Dum hæc fierent, scaitiosi alia ex parte oppidi, qua nostri illos minimè ingressuros rebantur, in vrbẽ perrumpunt sed cùm iam penè ad põtes peruenissent, à nostris celeriter occursum est, multisque cædibus vulneribusq; repulsi, fuga qua intrarunt præcipites

se effundunt. At Varuicensis, quò hanc hosti vrbis adeundæ potestatem penitus præriperet, iussit omnes pontes quaquauersus interscindi. Postea verò quibusdam de causis secus imperatum: isq; tantùm qui vulgò Carmelitarum dicitur interruptus: cæteris omnibus perstrenui milites præsidio impositi, cunctaq; loca, & præcipuè portæ, quod illæ maxima ex parte omnes, aut prostratæ concidissent, aut incensæ deflagrassent, hominibus integerrimis, & in militari re exercitatissimis, tuendæ ad quosuis repentinos casus transditæ. Vnde adeò factum est, vt improuisi, atque nocturni hostium impetus, (omnes omnium) cassi & inanes exstiterint.

Postridiè eius diei (is fuit ad VII. Kalen. Septẽ.) Heluetiorũ mille quadraginta peracres (vt vulgus hominũ existimabat) bellatores & egregij, Londino ad Varnicensem venêre. Hij latis acclamationibus à nostris susceptí sunt, qui multis tormentorũ bombis gaudiũ atq; alacritatem significarúnt suam Demum per vicos domusq; diuisi, & à ciuibus perliberaliter perq; benignè accepti inuitatiq; vt nostrorũ animos exsultantes, & rei bene gerendæ fiducia subnixos ad certam spem erexerunt, sic hostium mentes, noua iam cõfusas formidine consternatasq; ad haud dubiam futuri interitus cogitationem depresserunt. Interea verò seditiosi, nihil aliud nisi bonorum omnium sanguinem exsorbere cupientes (cuius iam spẽ aliquam auidissimis animis imbiberãt) in eorem totam verti existimarûnt, si Varuicensis copiæ primo

quoque

quoque tempore profligarentur. Et certè sicut deum optimũ maximum deseruerunt, sic ab illo spreti vicissim, abiectiq; Diabolo sese cõstringẽdos dediderũt. Hic anili superstitione mentes imbuerat, perfecitq; vti cæcis ariolorum ineptijs impliciti, vicinam quãdam cõuallem veluti huic fatalem bello deligerent.

Quanquam equidem (sicuti memoriæ proditum est) non defuêre portenta, & manifesta diuini furoris indicia. Nãq; anguis ex columna lignea in gremium vxoris Ketti dilapsus, non tam multorum pectora terribili pauore perculerat, quam Kettum ipsum anxijs impleuerat curis. Sed hic forsan operæpretium erit referre, quam futili opinionis errore inflati, sese ad exitiosa deuoluerint, cùm quæ reuera iram & vindictam, (vti videbatur) diuinã portẽderunt, vacordi feritate atq; pertinacia tumentes, vniuersi neglexerint. Tantam certè noctem humanæ menti Diabolus offundere consueuit, quoties eam scelere demersam conspexerit. Etenim cùm multa essent vaticinationum deliramẽta in vulgus relata, ex quibus nescio quam victoriolæ spem exsuxerant: inconditos tamen quosdam & insulsos versiu (stultæ animorum truculentiæ indices) præ cæteris omnibus amplexi sunt. Qui cum crebris quotidiè sermonibus vsurparẽtur (falsi siquidẽ vates singulis penè mẽsibus huiuscemodi ineptias auribus suis instillarunt) res erat exẽpli post natos homines planè inauditi, quæq; omnẽ exsuperet fidem, quemadmodũ ad eorum mẽ-

tionem furibundos ſenſus incitarint animaduertere: tum quanta & quàm inani latitia geſtierint, intueri. Perinde ac ſi illis vnis verſibus certa ſibi ſalus & victoria, noſtris autem interitus, & miſerabiles fortunarum omnium ruina portenderentur.

Hij autem erant iſtiuſmodi:

The country gnooffes, Hob, Dick, and Hick, with clubs and clouted ſhoone,
Shall fill vp Duſſyn dale with ſlaughtered bodies ſoone.

Quos nos (vt potuimus) Latino ſermone expreſſim,

Ruſtica plebs clauis, & agreſti induta perone,
Duſſoni vallē miſeranda ſtrage replebunt.

Hij cum quotidiè & (vt ſupra dictum eſt) vbiq; decantarentur, ſceleratiſſimorum hominum mentibus, id veneni Dæmon infudit, vt ambiguo falſi, fortuna loci, ſpes ſuas delegare decreuerint. Itaque omnibus ſcelerum ſuorū latibulis atq; ſpeluncis (quas paſſim ex ligno ipſimet ſibi conſtruxerant) incenſis (adeò vt fumus è tot ſimul diſtantibus locis ortus, toti penè cœlo veluti noctē induceret, ſubiectaſq; planities atra caligine inteqeret) indè in vallem Duſſonēſem cū vexillis, ac ſignis militaribus viginti perrexerunt. Tanta erat ſeditioſorum prædæ ſpe, impunitateq; allecta multitudo. Ibi omnia conari, atque moliri cœperunt, quo noſtris aditum, & negotij conficiendi ſpem adimerent: adeò vt momento temporis vallo, aggere, munimentiſq; ſe circumſepſerint, foſſas vijs tranſuerſas perduxerint, itineraque omnia ſudibus

ſudibus ſtipitibuſque in terram defixis intercluſerint.

Hæc cùm Varuicenſis intellexiſſet, ſtatuit & ipſe quoque belli fortunã periclitari, vt quos lenitate ac patientia frangere non potuerit, eos vi & armis ſuperaret. Inſequenti itaque die (is fuit a. d. VI Kalend. Septemb.) inſtructo exercitu per portam Coſtlinienſem contra hoſtem iter ingreditur. Adiunxerant ſe comiti Marchio Northamtonienſis, Wylloughbæus, Poiſſius, Braiſus, Ambroſius Dudleyus Varuicenſis filius, & præterea à nobilium, ac fortiſſimorum virorũ cohortes lectiſſimæ.

Priùs tamen quàm in hoſtium conſpectum veniretur, Edmundum Knyuettum, & Thomam Palmerium, equites ex aula perillustres, atque alteros totidem ſciſcitatum dimittit, vellentne nũc demum furores deponere ſuos, & ſceleris, crudelitatis, perfidiæ, belli denique contra patriam faciendi conſilia abijcere. Tantam eſſe nimirum & tam incredibilem bonitatis atq; clementiæ Regiæ magnitudinem, vt quamuis impietate penè indelebili maieſtatem ipſius, dignitatemq; polluiſſent, ſeſeque ſempiternis turpitudinum notis maculiſq; conſperſiſſent: admiſſorum nihilo tamen ſeciùs facinorum veniam pacemq; ſemel iterum cunctis (vno aut altero excepto) denuntiari tuſſerit: dummodò ex hoc curſu malignitatis atque nequitiæ iter iam tandem (pœnitentia ducti) ad obſequium tranquillitatemque conuerterint. Sin verò in amẽtia peruersè, atque impiè perſiſtere decreuiſſent,

extremaquè omnia experiri, nunc demùm adesse scirent, male sanæ leuitatis atque perfidiæ pœnas sue: ipsumq; Varuicensem, quanquam serum, certum tamen, tam nefandæ coniurationis vindicem. His hoc vnum, idq; ferocissimè ab omnibus responsum: SE NOLLE.

Quibus ad Varuicensem relatis, non longiori oratione milites peracri iã pugnæ desyderio deflagrantes, cohortatus est, q̃ vti fortiter hostem inuaderẽt, " nèue perturbarentur animo, sed eam quam conspi- " cerent seditiosorum multitudinem, non homines, sed " feras, omni diritate praditas existimarent. Nec se " ad pugnam, sed ad pœnam venisse arbitrarentur, eã " confestim à flagitiosissimis latronibus deposcerent, " pestem patriæ, pietatis atque officij stragem, belluas denique truculẽtissimas, maiestatiq; regiæ feritate insanabili reluctantes, prosternerent, affligerent, " delerent. His dictis, quia non longiùs hostes aberãt, quàm quò glans è tormento propelli posset, prælij committendi signum dat. At Kettiani nostros cõtra se venientes conspicati, suos ita instruxerunt, omnes vti nobiles quos damnatorum more catenatos, durissimisq; vinctos compedibus secum duxerũt, in prima acie locarint. Id eo consilio factum, quò nostri à nostris interficerentur. Sed Dei immortalis numine & incredibili militum virtute cõtigit, vt (secus quàm hostes volebant) omnes penè incolumes euaserint. Milo siquidem (hunc modò Kettianum libratorem esse diximus, artisquè tormentariæ scientissimum) ferrea

ferrea pila, regio vexillifero fœmur percussit: quæ per equi humerum, quo is vectus fortè incedebat, altiùs adacta, ipsum quoque equum, eodem vulnere transuerberauit. Id nostri indignè ferentes, dissplosis vicissim tormentis, horribiliqúe pilarum procella in hostes effusa, ordines perrumpunt. Quibus continuò impulsis, atque perturbatis, omnes nobiles qui in prima fronte constiterunt, fugientes, bellitempestatem deuitarunt. Etenim nostri equites, postquàm hostes crebris tormentorum, sclopetorumqúe traiectibus dispulsos fugatosqué conspexerunt, subitò omnibus copijs prouolarunt, impetumq3 in illos fecerunt, quem tantum afuit illi vti sustinuerint, pecorum vt instar, promiscuè, citato cursu, cuncti præcipites in fugam proruerint. Cæterum cùm ex insequentium strepitu, atque clamore, in vltima iam perfidiæ obstinatione, feroces ac præferuidæ mentes, tacitas nescio quas odij atque doloris flammas corripuissent: (velut feræ) ex desperatione & scelerum memoria, in rabiem versi, e fuga se repentè conuertentes exitiabili peruicacia, nostris aliquandiù restiterunt. Veruntamen tantus fuit pilarum vis, tantusq3 nostrorum hominum (qui victoriæ perandi effrenatiùs in aciem hostium perruperant) irruentium ardor, vt Kettianæ cohortes vndique acri impetu pulsæ, protritaqué, nullo penè negotio loco pellerentur. Itaque Kettus, vti dux in scelere strenuus, ità Imperator in bello ignauus,

vbi

vbi aduersa omnia vidisset, ordines interrumpi, suos disijci, nostros infestos inferri, neque salutis, neque præsidij vllam spem, animo varius, & immanium facinorum conscientia exæstuans, fugæ se mandans, clam suis pugna excessit.

Ea res vtique, postquàm cognitum est, ducem è prælio profugisse, incredibiliter hosti animos minuit, tantumque breui temporis momẽto perfecit, vti omnis ille ardens nuper, ac vehemens repugnãdi feruor, protinus ad tam nec opinatæ fugæ famam elãguescẽs refrixerit. Quamobrem primùm murmur, & tacitæ querelæ, post clamor, ad extremùm verò vndiq; fuga fieri cœpta. Effusos nostri equites perceleriter insecuti, stragẽ ingentem dederunt. Nãq; ad tria millia quingenta cæsi, & sauciorum magnus numerus, cùm omni ex parte dissipati, aut vulnerarentur, aut trucidarentur. Quod quidã è seditiosis animaduertentes, sublata omni prorsùs, vti rebantur, veniæ spe, efferatos iam multis immanibus factis animos, ad maiora inuicẽ in ea desperatione salutis scelera exacuerũt. Itaq; peruicaci audacia confestim è fuga se recipientes, prælium redintegrare decreuerũt: prædicãtes, malle se fortiter dimicantes occumbere, quàm fugientes (pecudum ritu) contrucidari. Porrò vbi se telis aliisq; rebus (quæ humi passim inter aceruos cæsorũ corporũ strata iacebant) instruxissent, & verua, sudes stipitésq; præacutas solo infixissent, fidem astrinxere, aut illic se vitã viriliter proiecturos, aut victoriæ demũ compotes futuros. Itaque cùm alter alteri

pre-

propinaſſent (ominis id erat inſtar, & ſignũ animarũ morti deuotarum) precibus votiſqué ſolemni more ſuſceptis, ad pugnam ſe confirmant.

Varuicenſis re intellecta, fecialẽ mittit, monet vti arma deponant, impunè fore ſi fecerint, ſecùs omnes ad vnum interituros. Reſpondent perlibenter ſe ab armis diſceſſuros, ſi ſcirent illam impunitatem ſibi ſalutarem futuram, ſed animaduertere in ſuæ ſocietatis homines vndiq; ſæuiri, id adeò indicio eſſe, mentionem hanc veniæ à nobilibus inſidioſiſſimè inductã, nimirùm quò falſa & perinani clementiæ ſpe (veluti laqueis) circũretuti tandẽ atq; deuincti, ad cruciatũ omnes, & eadem conſtringerentur. Et reuera quicquid illi præ ſe ferãt, ſcire ſe tamẽ perq; bellè intelligere, veniam eam nihil aliud eſſe, q̃ DOLIOLVM RESTIBVS & CAPISRIS REFERTVM. Proin mori decreuiſſe.

His relatis, Varuicenſis ingemuiſſe dicitur turbæ iamiam perituræ, atq; cõmiſeratione ductus, denuò miſiſſe qui ſciſcitarentur: Num ſi ipſe veniret, & coràm fidem obligaret ſuam, arma abiecturi forent. Conclamant omnes, id ſi fecerit, fidem habituros, & regis ſe arbitrio, poteſtatiq; permiſſuros.

Nec mora: Varuicenſis protinus ad illos pergit: fecialẽ publicè litteras regias legere iubet, quibus recitatis (quòd ea veniam omnibus perſanctè polliceretur) ijs confiſi, arma abiciunt, cunctiq; vno veluti ore gratulabundi exclamãt. VIVAT EDOVARDVS REX. VIVAT EDOVARDVS REX.

Atque

Atque ita multi mortales, velut è fati faucibus erepti, Varuicensis prudentia ac misericordia cõseruati sunt. Confecto prælio, præda omnis eodem die militi permissa, atque Norwici publicè in foro diuendita.

Illud insuper memoriæ proditũ est, nobiles cõplures, ac primores etiã aliquot ciuitatis, in ipso tumultu & ardore pugnæ transfossos, etsi ingentem pecuniam, magnaq; munera militibus dedissent, quò sua vitæ, incolumitatiq; prospiceretur.

Postero die quorundam hominum nuntijs ad Varuicensem perfertur, Kettum dum equus labore languescens fortè (vt fit) itineri succubuisset, fuga pertæsum in horreum correpsisse. Illic à duobus seruulis cuiusdam Richesij de Swannington comprehensum, domumq; illius deductum asseruari. Missi protinus equites viginti, qui illum ibidem in sordibus, lamentis, luctuq; iacentem offendentes, exsanguẽ metu, ac vitæ diffidentem, desperantemque suæ, vinctum Norwicum pertraxerunt.

Eodem die iudicia exerceri cœpta, quæstioneq; de ijs qui coniurassent habitæ in castello, multique mortales patibulis suffixi, acerbissimo cruciati supplicio, necatiq; fuere. Dein nouem, qui eius tumultus antesignani & principes exstiterunt, de Reformatoria Quercu suspensi: complures item eorum affines facinorum in crucem sublati: ijs (incisa protinus resti) in terram delapsis (sunt hæc apud nostrates proditorum supplicia) abscissa primùm quæ procreandi causa affinxit natura, tùm viscera

vinis

viuis extracta, & in ignẽ iecta, caput amputatum idq; fixum in pilo, & in turris fastigio defixum, reliquum corpus in quattuor partes laceratum atq; dissectum, eaq; totidem in locis sparsa, atq; ad terrorẽ omnibus proposita.

Verum enimuerò agrestibus hunc in modũ deletis, permulti nobiles iracundia & vlciscendi studio vehementiùs incitati, animum Varuicensis ad crudelitatem incendere conabantur. Qui nõ paucorum pœna contenti, volebant omnem penitus stirpem sceleratam exscindi: adeóq; acres in eo fuerunt, & peracerbi, vti Varuicensem coegerint palàm ad illos hac oratione vti. Adhibendum esse modum: eum ne fortè in puniendo excederent, in primis cauendum. Scire se maleficia eiusmodi acerrimè vindicari debere, & atrocissimo supplicio constringi. Sed quousq; progrederentur? ecquid semper sese implacabiles inexpiabilésq; præberent? nullum deprecationi, nullum veniæ, nullum misericordiæ locum relinquerent? An essent & ipsi agricolæ futuri, & terram aratris perstricturi? Hæc oratio vindictæ cupiditatem magnoperè sedauit, perfecitq; vt multi qui anteà ad immanitatem toti exarserant, postea tamen aduersus miseram plebeculam lõgè humaniores extiterint. Sub noctem trucidatorum cadauera sepulta sunt, ne ex tabe corporum lues morbiue progignerentur.

Postridiè eius diei (inciderat is dies in ante diem IIII. Kalendas Septemb.) præclarissimus, ac in summa sapientia & fortitudine illustrissimus princeps

ceps Varuicẽsis, vnà cum cæteris omnibus nobilibus ingentiqué non virorum modò, sed etiam fœminarũ omnium generum, ætatum, ordinum turba, templum diui Petri ingressus est: ibiqué Deo optimo maximo gratiæ actæ, & ob rẽ peregregiè gestã supplicationes habitæ. Quibus peractis, cum omni comitatu vrbe excessit.

At ciues superfundenti se lætitia, vno consensu omnes Varuicensem in cœlum laudibus efferre, de illo omnia bona prædicare, plausibus, hilaritatibus, gratulationibus, implere, miscereq3 omnia, magnificentissimisq3 verbis tanti ducis famam, tantæ virtutis memoriã concelebrare, vitã suã, coniugũ, liberorùmq3 animas, fortunas deniq3 vniuersas, illius dũtaxat prudentiæ, fœlicitati, fortitudini acceptas referre. Statuerunt preterea, ad notã, & ignominiã illorũ tẽporum sempiternã, vti eo ipso quo hostes fusi sunt die, cũcti templa adirent: ibiqué preces à sacrorum ministris solenni instauratæ ritu, quotannis celebrarentur. Quibus de more susceptis, decreuerũt insuper concionem in publico fieri, ad quam vniuersi conuenirent. Quæ consuetudo ex huiuscemodi introducta principio, etiam ad hæc quoque tempora permanauit.

Sedenim horum omnium scelerum signifer Kettus, Londinum vnà cũ Gulielmo Ketto, homine plurimis flagitiorum turpitudinibus infami, fratriqué suo, (non tam sanguinis communione, quàm morum importunitate, & perditissimis vitæ rationibus coniuncto)

iuncto) pertractus est: atque in turrim Londinensem coniectus.

Interiectis autem aliquot diebus, etsi manifesta perduellionis conuicti, & omniũ iudicijs ignominyſqué conſciſſi, flagitiorum ſuorum conſcientia cõciderint, tamen ad Iudicum ſubſellia traducti, more maiorum quæstio de ijs habita eſt. Condemnati ducuntur Norwicum alter, alter Windamiam, vbi de vtriſq; ſupplicium ſumtũ fuit. Et enim Roberto Ketto Norwici in caſtello catenæ iniectæ ſunt, collumq; in laqueum inſertum, atq; ita de terra viuus in crucẽ ſublatus, ad diuturnam tanti ſceleris memoriam pependit: donec infœlix & triſte cadauer, turpi tandẽ dilapſum tabo defluxiſſet. Gulielmus autem Kettus, Windamiæ vndè omnes illi furores velut à fonte redundarunt (namque inibi ambo habitauerunt) conſimili mortis genere excruciatus interijt.

Atq; hunc in modum ciuitas omniſq; regio Norfolcienſis (cùm ad ſexaginta ferè dies, hæc impura & mortifera perfidiæ peſtis ad multorum perniciẽ & interitum peruagata, cuncta lamentabili clade concuſſiſſet) Dei tandem optimi maximi benignitate, & Varuicenſis præcellentiſſimi principis admirabili virtute, hoc tam funeſto ac lugubri perfuncta tumultu, conquieuit.

FINIS.

Al. Ne. T. D.

S. P.

QVisquis inexpletum ſeros decurrere in annos
Ardet, honorato nomen ſumturus ab ore,
Ille Neuylleo ſplendeſcat Apolline: quiſquis
Sons animi, probitatis inops, & degener altæ
Virtutis, nocuis audax occalluit auſis,
Quiq; miſer meruit laniantis dentibus æui
Rodier, innumeris populataq; nomina linguis
Linquere, longeuæ nec ſe ſubducere labi,
Ille Neuylleo calamo vileſcat vtroq; eſt
Par: culpare malos: dignos aut tollere laude.
Tu mihi, tu teneris, ita note, Neuylle, ſub annis,
Te melos, & pulchræ iuuenilis gloria linguæ,
Te ſtudium ſemper flagrans, te nobilis ardor,
Et decorauêrunt cœleſtis ſenſa cerebri.
Ac velut emollita foco bona cera calenti,
Antea formarumq́; atque omnis imaginis exors,
Quaſlibet admittit facies, & protinus omnes
Fingitur in vultus, rerumq́; capacior exſtat:
Sic in multiplices fandi decor inclytus vſus
Flectitur ille tuus, diuiniq; ætheris hauſtus.
Quod libet audendi fœlix ſacer impetus omnes
Quos velit egregios fluit obſequioſus in actus,
Certè ego, de docto potatus plurima fonte,
Quiq́; hederas potui fronti vinxiſſe ſequaces,
Offulſus meliore deo: te diſpare canna
Tentabam, pronumq́; tuæ me cedere Muſæ
Sæpè quidem ſolitum non vllus, amice, negabo.
Quantus eras tum, cùm memori quàmplurima ſenſu

Eruit

Eruit in medium, vel cùm centena profatu
Extudit illustri tua mens diuinior arte?
Quantus eras vel cùm, fluuiorum lenè labantûm
Instar ijt sermo? vel cum neruosior esset
Intentanda acies & acuti cordis acumen?
Quantus cum tumidis certabas rhetore rostris
Grandia fulmineo iaculatus verba rotatu?
Quantus, quantus eras semper cùm maximus ille
Effingendus erat Cicero, vestigia pressis
Cùm signanda notis? dij, dij quàm plurimus vsque
Egregias laudes, famæ & decora alta tulisti?
Non tu nullus eras, nec eras non maximus inter
Pernassi proceres, & amœni fontis alumnos?
Quin ego qui poteram varias fulgere per oras,
Inscribiq; polo meritis, & diuite cantu
Frangebar fatilq; malis, hominumq; nocenti
Inuidia: rebus latè spoliabar: & omne
Viluit in lites studium, vitamq; leuandam.
Me malus exedit liuor, me insciti a lucri,
Me dolus, amissis dubijq; in rebus amici
Fortuna pepulêre bona: spissiq; cerebri
Fex hominum fausto vitæ de tramite trusit.
Heu nihil inuita fas quenquam posse crumena
Nunc patrare boni: nunc, nunc obiere patroni
Non *Cauponantes* doctorum præmia, *Musæ*,
Musæ inhonoratæ languent, squalentq; gemuntq;,
Insipidus glisci t numerus: *Nummo* geritur rés.
O animæ pars grata meæ generose Nevylle
Diuis orte bonis, cui corpore viuida virtus,
Frontis bellus honos, & amicæ mentis honestas.
Quæq; deos statuunt: si quid mea carmina possunt
Semper in innumeros victure Nevylle decores.
Ecquid & infestis iactatus quando procellis
Hæc mecum documenta refers? sollersué tacendi
Defugis incuruos hominum reprehendere mores.
Tu quoq; non paucis iamdudum quasse periclis
Pondere nutasti grandi: te præsulis Aula
Excipit hospitijs, sed sic vt dicere velles

Nordouicum populum,matriq; ſtolaſq;,patreſque.
Qui peda geſtarunt illic,ita pluribus ille
Mœcenas voluit veſter,quia paruulus inde
Creuerat,& ditem ſcandebat fortè cathedram.
Sic tu tam lautus rerum memorator herili
Imperio,modicamq; vrbem,modicumq; Senatum
Ingenti premis ore:ſeges tibi creuit ab illo
Id populus curet potius,tradantque parentes
Obſcuri gnatis,& muſſet quiſquè viritim
Ingenijs apta eſt hæc area turpiter hyrtis
Dicere quot patres,quot ſegnis quiſque ſedebat
Luſtra patrum,quota ſcita dabant,fatuoque popello
Addiderant ritus,vel quot conuiuia ciues
Secum agitant læti,quibus eſt authoribus orta
Vrbs:quibus & templum : quæ vix ego ſtans pede in vno
Dictarem vetulis niſi plus vel partibus ipſis
Vrbs,vel ciue ſuo magis increbreſceret orbi.
Nec tamen his teritur tua laus,aut fama loquendi,
Siue cadas culices vox eſt tua cycnea cantu:
Nec ſi grandiſono pangas regalia plectro,
Id ſtolidus pendet mundus *Sarapæuè* ſupini,
Sordiduliue gregum patres,*ita vergit* in æra
Mens hominum,ſurdaque cupit diteſcere fama.
Tu tamen vt non ſint pulchræ ſua præmia laudi
Macte animis,muſiſque mica,virtuteque fulge,
Mors ruit,& mundi volat irreparabilis ætas,
Sola viret virtus,& vis maiora patrandi.
Actibus auguſtis infer te te arduus aſtris.

Laudatur & alget.

INDEX.

A.

Alderichius. 47. *eius prudentia, auctoritas, oratio* 47. 48.

Ambrosius Dudleius. 68.

C.

Consiliariorum cura, prudentia, fides. 3. 35. *decretum*. 35.

Coddi Prætoris cõsiliũ 10. *Magnanimitas* 11. 21. 40 *prudentia* 13. 15. 16. 17. 38. 39. *oratio* 11. 40. *in carcerem conijcitur*. 45. 41. *periculum* 46.

Corbetti Sacellum dirutũ 14. *castra Kettiana* 14. 29. *multi ciuiũ in carcerem coniecti* 44.

Ciuitas Norv. capta 43. *Caymi nefarij nebulonis interitus* 53.

D.

Diplomata Kettiana 16. 17.

Drurius 79. 81. 82. 83.

E.

Etonensis sylua 11.

F.

Flowerdui prudentia, fortitudo, fides 9.

Fecialis 35. *eius oratio* 36. 44. 51. 58.

Fecialis à Varuicensi 70. *eius oratio* 73.

Flotmanni furor 58. 59.

G.

Gubernatores Kettiani 18.

Gulielmus Parus Marchio Northamtonensis 50. *eius profectio* 50. *Clementia* 58. *Prudentia* 54. *reditus* 62.

He-

H.

Hetherſetum proficiſcũtur perduelles 8. *ibi quæ patrarint* 9.
Heluetij 86.

I.

Ignobilium furor Angliã penè omnẽ peruaſit 18.
Ignobilium in nobiles odium 31.33.
Indicia Kettiana 49.
Itali cum conuratis conflugunt 53.
Italus interficitur 16.
Iohannes Dudleius comes Varuicenſis 67. *eius nominis celebritas* 67. *prudentia* 69.72. *Fortitudo* 67.85.90.93.
In re gerenda ſolers cura 70.72.78.83. *Clementia* 69.70.72.89.

K.

Ketti conſpiratio, quando, quo modo inceperit 3. *quã diu durarit vltim.*
Ketti præceps furor 7.36. *Audacia* 9.16. *Regiæ Maieſt. violatio* 16. *Cohortationes ſceleſtiſſ.* 7. 37. *laſa Maieſta. reus pronunciatur* 37. *Deſperatio* 46.
Ketti inconſtantia 78. *fuga* 92. *mors* 96.
Kettiani 7.8. *quibus ſe rationibus ad ſeditionẽ inflãmarint* 4. 10. *eorum ſtultitia* 10. 23.32.33. *rabies* 14.28. 76. *in nobiles odium* 31. 33. *Crudelitas* 14.17.26.27.28. 19.30.32. 53. *Simulata ſanctitas* 15.21. *Audacia* 16. *Religionis contẽptus* 25.32.87. *Numerus* 18. *Rapina* 12.19.27 *Forum Iudiciariũ* 19. *Ebrietas, luxus* 21. 29. *Maieſt. Reg. violatio apert.* 28. *Inconſtantia,* 38.37. *Poſtulationes iniquiſſimæ* 11.40. *Vrbem inuadunt* 42. *Capiunt* 43. *poſt captam quæ patrarint* 44. 45. *Veniam à R. M. propoſitam*

ſitam repudiant 35.36. 44. *Urbem inuadunt* 56.60. *capiunt* 62. *incendunt* 63. *A noſtris profligãtur.* 57 61. *Noſtros inuadunt.* 82. *in fugam vertunt* 82. *Pugna* 90. *Cades* 91. *Fuga* 92. *Furor* 93.

L.

Ludi ac ſpectacula Windamiæ quantũ mali pepererint 6.

M.

Milites Ketti quales 9. 15.

Mouſholdiam Kettiani contendunt 13. *Caſtra inibi ponunt* 13.14.

Matthæi Parkeri probitas, Prudentia, Fides 20 21.22. 23.24.25. *concio* 22. *Pauor* 23.

Moultoni periculum 31.

N.

Norwicenſium quidam Kettianis ſe coniungũt 9.

Norwicenſium anxietas. 17. *Luctus* 33. 44. 64. 65.66. *Pericula* 27.28. 29.33.38.39.40.43.44. 60.

Nobilibus ignobiles infenſi 4.18.

Nobiles comprehenſi 28. *Vincti ac in carcerem concluſi* 27.29. *Trucidati* 32. *Emiſſi è cuſtodia* 39. *denuò in vincula coniecti* 39.

O.

Oratio 69. 85. 90. *Inſignis commiſeratio ac pietas* 93.94.95. *Victoria* 92.

P.

Pueri agreſtes 42. *eorum inaudita rabies* 43.44.

Pueri facinus turpe 77.

Q.

Quercus Kettiana 18.

R.

Regis clemẽtia erga perduelles 35.36.44.

Robertus Dudleius 68.

S.

Sothertonus Conſiliarius

Regis vrbis statum exponit 34.
Sheffeldy mors 61.

V.

Vulgi furor nefarij nebulonis voce incensus quo proruperit 8. *à Rege eiusq; Consiliarijs quæ è Rep. decernũtur, quàm soleat ijs interdum vulgi furor abuti* 3.

W.

Whartoni probitas, Fides, Periculum 30.

FINIS.

O Lord) art my de-
ou art my Worshipe
er vp of my head.
all vppon the Lord
oice, and he harde
is holy hill.
me downe and slept
aine, for the Lorde
e.
not be afraid of ten
s of people that ha-
selues a gainste me
it.
helpe me O God for
st all mine enemies
eck bone, thou hast

the Lord with all your hartes
with Fasting Weping & mour-
ninge. Rent youre hartes and
not your garmentes.

Tourne you vnto the lord
your God, for he is gracious, &
mercifull long sufering and of
great compassion and ready to
pardon Wickednes.
Make no taryng to tourne vn
to the lord & put not of frō day
to day, for sodaynlye shall his
Wrath come, and in time of ven
geaunce he shall destroy thee.

Tourne vs O GOD our
Sauiour, and let thine anger

If we knowledg oure sinnes, God is faithfull and iust to forgyue vs our sins, & to clense vs from all vnrighteousnes.

DEarelye beloued brethren the Scripture moueth vs in sondry places to acknoweledge & confesse oure manifold sins and wickednes & that wee shoulde not dissemble nor cloke them before the face of almighty God our heauenly father but confesse thē with an hūble lowly penitent, and obedient harte to the ende that we maye ob-

so with them but th
the chaffe which th
tereth awaye from
the earth.

Therefore the vn
not be able to stand
mente, neither the
the congregation of
ous.

But the Lord kn
way of the righteou
of the vngodly shal

Domine quid multiplic

LOrd, how are th
sed that trouble

Many the